30142/R

B
W. a. 129

TRACTATUS

DE

MELAENA MULTIPLICI.

42600

TRACTATUS

DE

MELÆNA MULTIPLICI.

PARS PRIOR.

AUTHORE J.-C. JACOBS,

Medicinæ licenciato Lovaniensi; societatis medicinæ, chirurgiæ, pharmaciæ Bruxellensis quondam præside; societatis regiæ Burdigalensis, athænei Girciani, societatis physicæ Megapolitanæ, physicæ experimentalis Almeriensis, medicinæ, chirurgiæ, pharmaciæ Tolocensis, medicinæ practicæ Monspeliensis, athænei Niortensis socio; scientiarum physicarum ac medicarum Leodiensis correspondente.

Enrichissons l'art, au-lieu de le changer.

PRIX: 2 FRANCS 50 CENTIMES.

BRUXELLIS,

TYPIS M.-E. RAMPELBERGH, IN PLATEA VULGO RUE DE LA FOURCHE.

1818.

Verwijderd K. B.

Koninklijke Bibliotheek 's Hage.

Non agnosco hujus tractatûs ullum exemplar legitimum, nisi manu mea subscriptum.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

De Melæna, jam dudum inter authores controversiæ objecto, agendum suscepi ut absconditam ejus naturam, pro virium tenuitate magis magisque evolverem; ejus in discrimen vocatam indolem difficultatibus, quantum tulit facultatum imbellis potestas, ac dubiis liberarem, equidem, quid quid sit, de hoc mihi blandire fere ausim, quod vix non in aprico collocaverim, ægritudinem hanc tam parum à sic dictâ atrâ bile pendêre; ut nequidem ab eâ produci valeat : eamque unicè et exclusivè à sanguine per stasim degenerato, saltem in colore suo notabiliter mutato, progigni : quare, quià in omni parte stagnare potest, hoc inde consequi ut, non solum in vasis brevibus, in uno tractu cibario, at ubique in omni et singula corporis parte, vasis sanguineis paulo locupletiori, locum habere possit, fui arbitratus, unde tituli ratio.

Nunc nunc dum nigræ immoror materiei, liceat mihi coram coævis posterisque, pro una ultima vice, moralem eum perstringere nigrorem, quem jam ab aliquibus retro annis

in famam meam injicere conati sunt aliqui, atque feliciter soli, inter parisienses, injusti, neque laudabilissimi viri.

Etsi scriptori absque ullo interesse sensu, absque ullo ambitionis impulsu, absque ullo in proprium commodum studio, in unam ægrotantium salutem, in unum bonum publicum dies noctesque, totis viribus insudanti, durissimum est pro laboris improbi, vigiliarum atque elucubrationum arduarum, quæ generosis viris nec sine fructu, neque absque laudibus visa fuerunt, præmio, injuriis, contumeliis obrui, quorum omnium unus solus homo malevolus et quasi ad turbas natus causa motrix, fundamentalis atque originaria est : non arripui tamen calamum ut hunc nomine *Fournier*, quondam stante republica gallica, chirurgum castrensem, ubique, et certè Bruxellis notissimum, suis ipsi individuis coloribus depingam : etenim de viris agere, dum sine laudibus agendum est, nulli prodest, in nihil confert quàm minimum, quin contrà odia parit, excitat ac acuit; tempus, cæteroquin utiliter adhibendum, cum scandali quadam specie terit, undique rebus nocet atque personis.

Quin et illud coram cordatorum erudito-

rumque virorum cætu profiteri possum, dubitasse me diù multumque, vel an propriam in me illatarum injuriarum causam dicturus, de illarum authore agerem, vel, an eo à latere vel à tergo relicto, directè, sine allisione, ad scopum properarem.

Quamobrem quæ de hoc mihi injucundo, aliis fastidioso objecto, scribam, eum solum in finem scribam ut me injuriis, mendaciis, convitiis liberem; non ut vindicativè ac durè in durum adversarium agam: contentum me satis, beatumque existimaturus dum ex hac lucta, quam mihi odium excitavit ac invidia, nominis mei fama, qualis apud doctos est, etiam apud alios, qui non sunt, universim incolumis ac integra exsurgat.

Qua in re sinceros scientiæ medicæ cultores, aliosque cujuscumque classis viros in scientiis adoletos, propensè rogo, oroque, sine preventione, sine præjudicio, retrospiciant, perspiciant, examinent quis ego fuerim à juventute, quis in studiis, quis demum in artis nostræ exercitio, et quænam in hujus progressum, in concivium meorum, aliorumque decumbentium solamen jam à 34 annis, producere annisus sum: et judicent, etiam severè judicent, dummodo æquè, nihil ægrè

feram, ultro lubensque cuncta perpetiar, judicent inquam, utrum meruerim, quæ rabidus hostis in me intulit et præ cæteris, fatalem illam morsuram, quam, ipso latrante, mihi inflixêre parisienses.

Quamquam quid dicam, quid scribam, quid sentiam, hæ, similes, similis farinæ ignominiæ, injecissent sanè mærorem, eumque non levem; animum dejecissent, zelumque indubiè enervassent omnem, nisi mihi apprimè cognitum fuisset, ab ipsius *Homeri*, ab omni ævo, *Zoïlos*, *Mævios*, *Bavios* atque *Hobesios* exstitisse, qui meritorum paritate doctorum gloriam attingere impotes, eam, invidiâ luxuriantes, cujuscumque generis quisquiliis conspurcare annisi sunt. Hoc quod suis, tempore non tam longe à nobis dissito, vicibus expertus est illustrissimus *Hallerus*, hominum ille, qui certè, similibus telis neque percelli, neque jacere debuisset, dum ultra omnis ætatis omnes, tot tantisque cujuscumque generis, jure admirabilibus, animi ac ingenii dotibus conspicuus emicuit. Audiamus digni hujus viri querelas, audiamus quæ, hanc in rem, de se ipso cum publico communicavit.

« Incredibili, inquit in præfatione ad tom. « IV elem. Physiol., sum dolore adjectus,

« dum nuperum adnotationum, summi viri « *B. S. Albini* accepi, justum, mihi soli op- « positum, volumen.

« Traducor ab *Albino*, coram tribunali et « hujus cum quo vivo sæculi, et eorum, « quæ sequentur. Accusor quod præcepto- « rem, virum laude anatomica maximè con- « spicuum *vexaverim*, *provocaverim*, quod « ei *subripere* sum conatus inventa sua, quod « improbanti, ridiculè *Laudes* meas volue- « rim *extorquére*, quod in ea tota lite *præva- « ricatus sim mille modis.*

Dein in præfatione ad tom. V: « Nunc pos- « sum, ait, gradum meum in civitate tueri, « etsi non sum magnus prosector. Tueri ne- « queo si *ingratus* sum; si *fallax*; si *cavil- « lator*; si *insidiosus*; odio mihi foret vita mea « si ejusmodi haberer à justis judicibus.

Iterum in ea ad tomum V. « Ita cum sum « animatus, omnium famæ studens, cupiens- « que cum omnibus eruditis bene esse, ut « tamen *acerbos et contumeliosos in me li- « bellos*, ferè quot annis videam prodire de « prelo.... Tu interim jaces, regerunt amici « aliqui, qui meo honori videntur, magis « quàm ego quidem, studêre, tu audis con- « vitia et probas silendo, et nutris audaciam

« hominum, qui dum nihil metuunt, omnia
« audent.... *Amarissimas voces, injustissimas*
« *criminationes* in me protulerunt : cæterùm
« *contradictiones* mihi exprobravit *haënius* ut
« dicit, *perpetuas.*

Ulterius in fronte tom. VI. « Interim *com-*
« *pillatoris* famosus titulus à summis viris
« mihi impingitur.

« Lege quæso *convitia* quæ passus sum et
« æquus judica an non ad vindicandum me
« ipsum ab ipsa necessitate compellar.

Rursus ad tom. VII. « Invitus iterum ad
« me tuendum descendo, nescio quo infor-
« tunio ad *perpetuas pugnas* adactus, ut in
« aliquo quasi pugillatu vitam teram, qui
« nemini gravis, etiam adversariorum laudi-
« bus studêre, nihil mihi sumere alieni.

Tandem ad tom. VIII.

« Mirè vero meæ vitæ litterariæ volup-
« tatem turbavit *numerosus adversariorum*
« *exercitus*, quorum *odia* me jam à 21 an-
« nis presserunt, etc. etc. »

Si vir hic famæ immortalis, qua æternùm in hominum memoriâ atque scientiarum fastis vivere debebat, tanto injuriarum cumulo, bonâ vitæ suæ parte obrutus fuit : et

Si licet in parvis, exemplis grandibus uti.

tale consodale exemplum mihi solatio fuit atque levamini, in perpetiendo atroci bello, quod in me ab annis intulit inquietus ac invidiosus hostis, quasi jurgiis enutritus et ad convitia natus, quæ undique etiam in alios, quidem meritissimos viros quaquaversum sparsit, spargitque dietim ut, proh ! nimium notum est.

Verum enim vero, cuncta hæc, quæcumque sint, uti par est floccifacienda, flocci-facere perexissem, nisi alto silentio consensum præbêre, approbationis sigillum apponere visus fuissem; mihique non fuisset compertum, hæc dum ita transeunt, certorum acuere audaciam, aliorumque animis mei infigere ideam alienam : quare paucis, præter ea quæ alias dixi multa tangam, quæ contra me finxit atque in apertam lucem commisit.

Autem quis credidisset hominem sui ipsius, bonique civis officii eo oblivisci posse ut mihi nativitatem, sanè non obscuram neque temnendam, cognomen *Jean*, atque obesitatem probro vertat; dum hæc omnia fortunæ sunt, quæ in his, ut in aliis rebus ludere atque innatâ levitate exultare solet; vel natalium fato, nulla meritorum aut vitiorum ratione accidunt. Verùm quibus occupor, quibus

immoror, quibus labentes, nusquam redeuntes horas absumere cogor.

Opuscula, quæ edidi, *obscura, indigesta, inintelligibilia* vocavit cuncta et singula.

Luscum malè, cæcum nihil vidêre ; viribus digestricibus inermem, pro coctis cruda conficere; idiotam nihil capere, ex lege naturæ, non in me peccatum est : equidem hæc perspexerunt, digesserunt atque intellexerunt ita ut, eorum bonam partem laudibus honorarint, non vulgaribus alii, judices idonei, viri laudabiles ipsi.

Hæc venalia, empta à nullo, in officinis polline tegi, candidè publicavit : dum id *de certitudine in medecina, methodoque, eam in hac acquirendi*, post paucos à prelo menses, frustra quæsitum fuit, atque, ut de cæteris taceam, jam à 2 annis tractatus de dyssenteriâ tertia extat editio.

De summa injuria, quâ me Parisienses affecere, sed cujus scandalum, iniquos meos judices manet, altùm silebo; de ea in opusculo, cui titulus *Démonstration de l'identité des virus gonorrhique et vérolique*. Sufficientia dixisse ratus: quibus, post actam in formâ causam, mihi, ex summorum virorum judicio, decretam fuisse victoriam, dilucidè constat.

Dein *stellionatus* accusatus fui, qua alterius doctrinam pro mea venditaverim in opusculo statim citato. Excerpsi verum est, ex ephemeride aliquâ Parisiensi locum aliquem, quem in librum meum transtuli, sed ephemeridem omnibus litteris citavi. Hic ad pænam libri mei, in quo *pag* 47. reperitur ut sequitur :

Voyez le Bulletin des sciences médicales, publié au nom de la société médicale d'émulation de Paris, séante à l'école de médecine, par le docteur Tartra, 5^e^ année, n^o^ 39, tome 6. Sumne ergo *stellionarius?* Si ex scripto sibi, cum citatione exactâ, aliquid ad rem, fuerit etiam sub aliâ quàm utilitatis ratione, assumere, *stellionatus* est, caveant sibi *eruditi.*

Ex eodem fonte, quod in me injecit, probrum hausit, acsi falsè superbirem de medici physici in nosocomio middelburgensi titulo : mi Deus! de hoc titulo in paludosâ Zelandiæ cavernâ gloriarer! Ego, qui Bruxellis honestâ fretus fortunâ otioque tranquillo, per lustra commodè vivo !

Ulteriùs acsi ædes sic dictas sanitatis mihi attribuerem objecit. Ædes sanitatis nec habeo, nec ambio, neque volo : si ruri mihi ædes sint aut villa non inpulchra, eam, non ad recipiendos ægros sed ad mei, post ma-

tutina in urbe peracta negotia, recreationem pomeridianam ab annis construi jussi.

Dum in orbe litterato, eruditi quotquot sunt, etiam contrarii argumenti scriptores, ad quos mea pervenerunt, correctitudinem, puritatem, elegantiam quidem, styli talem, quem, uti scripserunt, hisce temporibus, admirabuntur, idiomatis latini amantes, laudaverunt ab ipso anno 1784; inimicus meus

. . . . . Indomitos gestans in corde furores.

Rara cum virulentia crassam meam in lingua latina ignorantiam carpsit, illatinus censor; uti vidêre est, in, quod ipse Bruxellis redigebat diario, sub nomine *Esprit des journaux*, in quo arguit me plura vitia, quàm lineas scribere; omnia mea pleonasmos, solecismos, barbarismos, voces inconditas, inusitatas, inintelligibiles redolêre allegavit, iisque in dicto diario totas adimplevit paginas. Huc adestis æqui rerum judices : nam ad vos provocare liceat.

De derisionibus comicis; uti *ecce iterum crispinus* etc. etc. etc. Nihil dixero, eas lubentissimè relinquens, illius hominis computui, cui, dum theatrum quondam non fuit alieni officii, contracta consuetudo, alterius naturæ vim inseruit unde.

Hanc quanquam expellas furcâ tamen usque redibit.

Supererat ut meum, nulli non æstimatum, de dyssenteria tractatum venenoso suo inficeret halitu, eumque ignominioso suo penicillo, sub alienis à se coloribus, in *Dictionario rerum medicarum*, adumbraret, in quo turpis ejus extat pictura, non obstantibus laudibus eximiis, quibus primam ejus editionem ultrà spem et expectationem juvenis 24 annorum, illustrissimi in orbe litterato viri cumularunt: non obstantibus non mediocribus encomiis, quibus secundam ipsius editionem jam à 17 annis, extulêre Parisienses ipsi: non obstante tandem, quod omnia superat, non periturum, indelibile, ipsius experientiæ veracis sigillum, quo ea quam diræ huic labi opposui, medela, illa ex morborum maleficorum aut malignorum catalogo expuncta plenariè confirmatur.

Interim fæda extat imago, quam ex meo, etiamque publico interresse est, integrè ut expungam: quamobrem unum alterumve, quod de eo prædicarunt, non infimi subsellii authores, propriis sumptibus prelo dare, atque cum omnibus, dicti dictionarii subscriptoribus gratis communicare mihi animus est. Ut turpi libri mei picturæ, turpis pictoris, succedat effigies, qualis jam indè alibi extat calamo delineata veraci.

Dum me nunc injuriarum sclopeto impetivit, rari furoris in campo litterario miles, ab una parte; ab altera sese sistiterunt ex variis sectis inter modernos unus aliusque, ast cordati hi sincerique viri, qui hypothesibus abrepti, sistematibus indulgentes, novitatibus delectati, hæc veritati anteponentes, mirantur, ægrè ferunt, carpunt quidem, me semper meo, alio atque diverso, à more recepto, modo scribere.

Sic mirati sunt atque mirantur *nosologistæ* me morbos, de quibus ago, nusquam ad aliquem ordinem, classem, genus aut speciem referre dum ex tali classificatione tantum luminis atque claritatis affusum est botaniæ.

Mirantur *browniani* sive genuini sive nothi me *steniæ*, *asteniæ*, *excitamenti*, *excitabilitatis*, *stimulantium atque debilitantium* altè oblivisci, dum tam simplicis doctrinæ, cujus totam supellectilem, vix una longior linea constituit, tam facile recordari est.

Mirantur *nosographi* me eorum divisiones sicco transire pede, antiquamque semper sequi nomenclaturam, dum, uti in chymia nova nomina, novas ideas pariant, novamque lucem adducant.

Eamdem, verum est, semper locutus sum

uti nunc loquor, loquelam, neque putem in posterum, loquar alienam : ad quid enim, quod bonum est, mutare consilium ? atqui naturam morborum, in ratione ad curam, mente ab omni sistemate, ab omni hypothesi immuni, curiosiùs perscrutari, in essentiam eorum indagari, ferè unum, ab omni tempore bonum putavi : deinde quare et in quem finem, antiquum, si valet, relinquere ? et si fortè non undique valet, cur non potius quod malum habet, corrigere, quàm cum pauco malo, totum deserere bonum ? Quali utilitatis ratione novum, solo novitatis titulo, nulli aut fragiliori innixum fundamento, sibi assumere ? Id alii, quod non nisi novum fuit, ut neonatum, brevì evanidum substituere, ut hoc iterum suâ vice, ante ætatem, quam abortivum non attingat, alii, quod succedaneum fortassis inde gestatur, rursus et ferè quotannis locum cedat; uno quoque suarum post se victimarum relinquente memoriam infelicem.

Equidem hæc ita fieri ipse meis oculis in praxeos meæ 38 annorum decursu, ut de antecedaneis taceam temporibus, conspexi.

Statim in principio *cullenum*, alterum *sauvagesium*, quorum fœcundum cerebrum, sine interruptione morbis gravidum, peperit infi-

nitos secuti, de nominibus potiùs occupabantur quam de rebus, et dum in tabulis marginatis morbos curabant, ægri sparsim moriebantur in lectis : ab hoc errore tamen vix non omnes mansêre immunes nostrates medici.

Dein *Whythii* atque *Pomii* doctrinæ aures præbentibus atque assensum practicis, vix non omnes, omnium ægrotantium querelæ ac affectiones, præprimis chronicæ; *histerim hypocondriasim, nervorum morbos (maladies de nerfs)* anglis tonicis, balneis frigidis. Gallis relaxantibus, balneis, potibus tepidis dispellendos sapiebant.

Iterum subnato *Maximiliano Stoll*, bilis, male natæ, imperium latè dispersum viguit; dum non solum ad universa abdominis viscera, sed ad caput, ad pectus, ad artus, ad universum, ut ita dicam, corpus, molefica sua, sic dicta, indole sese extendebat indesinenter : ita ut, quod in talis prosapiæ medico jure mireris, ejus creatione apoplexiam biliosam, similis naturæ hæmopthisim etc, vomitorio curandas statutum fuerit.

Doctrinam hanc quanquam tempore sat longo hisce in plagis amplexi sunt practici, nihilominus et non obstante summâ, summi viri existentis authoritate, illam rationis modestæ,

uti juvenem paucos ultrà viginti annos natum decebat, at simul luculentæ, armis, cùm subsequente victoria aggredi non pertimui ab anno 1784.

Tandem oppositæ omnino opinionis, non solum bilis, at omnium, quotquot sunt in corpore humano, humorum incomparabilis benevolentiæ patronus, eos ex infallibili suo statuto, sanos semper, quousque vita stat, nullo non tempore in statu physiologico, nusquam in pathologico, in æternum, hæreditario beneficio, incorruptibiles decrevit: atque omnia et singula corporis incommoda in sola solida, quidem in solum eorum incitamenti excessum vel defectum sub *steniæ* et *asteniæ* nomine injecit judex inidoneus *Brown*, cujus doctrinam subvertere penitùs, ab annis annisus sum, in opusculo, sub nomine *le solidisme écroulé par sa faiblesse* et quæ tum temporis in gallia, uti ad me scribebat vir famæ immortalis et ante diem è vivis ereptus dominus *Bichat*, non multos amplius numerabat asseclas : unde miror, eam ita quasi oblivioni ereptam, reviviscere adhuc hodiedum ac celebrari in parte ejus meridionali, quod opus à domino *Hernandez* conscriptum testatur et qui, cum pluribus aliis, qui hu-

mores quoscumque à vitiis cujuscumque generis absolvit, eorum pathologiam penitùs rejicit.

Quasi vero vasa, viscera, quæ ex alimentis humores nostros conficiunt (hos autem illa concurrenter conficere nemo inficias ibit), qualiscumque fuerit eorum ratio, sive in justo tenore, sive exorbitans, sive languens eumdem semper deberent producere effectum, ejusdem semper qualitatis humores, semper sanos, nunquam proportionatos neque participantes de actione genitrice, quantumvis morbosa, generare.

Quasi vero idem esset causam esse et non esse, actionem valêre et non valêre. Si valet qua sana est, impossibile est ut idem valeat qua morbosa.

Quasi vero omnia ingesta semper eodem atque uniformi modo subigi deberent; et dum ritè subacta non sunt aut pravæ indolis, ex gratis supposito, vigilanti, fideli atque incorruptibili villorum lacteorum aut vasorum absorbentium satellitio, in æternum ex massa humorum excludi deberent, hac cum consequentia ut, quia nemine contradicente sæpe sæpius chymi-chyli-poësis vitiosa est, non mediocris hominum pars inanitione sive fluxu cæliaco, qui, rarus valdè morbus est, pereat,

quod quotidianæ repugnat experientiæ : aut ut, male licet elaborati succi absorbeantur, cum quo humorum, qui ex iis reficiuntur, non stat, nec stare potest inperturbabilis ac constans sanitas. Quasi vero dum solida ex humoribus conflantur, illa ex his, constanter sanis, conflata; dein detrita, ex sanis refecta atque nutrita, etiam eatenus semper sana esse non deberent, ita in sæcula homine viviturо beato.

Post hæc a priori. Quasi vero dolores varii, ii omnes qui à nervi, quousque integer est, non oriuntur distractione; reumatici, v. g. cognatique, eruptiones plurimæ cutaneæ, febres vix non omnes, at certè exanthematicæ, aliam quam acrimoniæ agnoscerent scaturiginem? Eh in variosis confluentibus fætor immanis, vastum etiam conclave adimplens, dum non est ab humoribus infectis exhalantibus, erit sanè à solidis, in aërem allatis, et dum ipso specificè graviora sunt, menbranam *Schneiderianam* impetentibus miraculosè.

Quasi vero ulcera varii genii, dum circumvicina fæde erodunt atque depascunt; et quæ, humorem corrosivum elicientibus vesicatoriis, perbellè curantur, non denotarent ad eviden-

tiam humorum acrimoniam, eamque summam.

Ergo ex incomparabili *brownianorum* invento, gratias summas solidistis referant, lascivi veneris nepotuli, qua nunc liberè promiscua venere frui possunt, absque vel minimo metu contrahendæ *luis;* etenim *stante vita humores acrimonia inquinari nequeunt.*

Iterum, dum opinionum commenta delet dies, huic, si non dirutæ, saltem in occasum ruenti, successit alia, quæ per universum gallicum imperium latè sese extendit sub nosographiæ philosophicæ nomine.

Verum nosographia illa sic dicta philosophica, nihil minus quam philosophiam sapit, dum narratoria potius quam scientifica est: dum præter varia inutilia de morbis in libris ordinandis figmenta, atque ex græco penu, nova deprompta vocabula (1), quæ ad rem ipsam nihil faciunt, quin contrà entia præter necessitatem multiplicando, confusionem pariunt, in nihil certius collimant quam in pedissequam veterum, qui tot tantaque ponderosa post se reliquerunt, inintelligentiam: dum ita scientiæ ætatem, sæculorum progres-

(1) Febris gastro-ataxo adynamo entero biliosa.

sibus adultam, in infantilem, antiquis delectis, oblivione sepultis, novis evocatis, convertunt : dum præter hæc, totaliter veram negligit morborum æthiologiam; in indolem illorum vix ac nevix, ne dicam, nullatenus inquirit; de essentia, causa proxima eorum, quod rei summa est, altum silet : dum, quod sanè prætermittendum non est, de indicatione, quam, etiam post diligentem laborem invanum quæsiveris, nullibi mentionem injicit; et sine qua in curatione morborum, ut in ignota regione cæcus, aut ut in multivio mari, sine pixide, nauta, indubiè ac indesinenter à scopo aberrare debes.

Dum jam hæc, suas vices subiens, præcedentium adinstar, experientiæ atque rationis vim, impetum ac lumen sustinere incapax vacillat ac titubat, provectioris ætatis pondus ferre inepta, ad tumulum properat, doctrinæ effigies; è latere exsurgere videtur alia, quæ vix magis *Pinelio* quam *Bownio* favens, admittit tamen certa sub restrictione humorum, stante vita, incorruptibilitatem.

Contendit nullam esse febrim essentialem, nullam per se; dum omnis symptomatica est.

Nullam aliam ejus admittit divisionem quam in inflammatoriam et typhum.

Potissimam morborum partem ab inflammatione, etiam *occulta* vel chronica derivat.

Hæmorrhagiam nullam passivam, activam omnem statuit.

Mentionem, quam in libris suis inter modernos allegant adhuc aliqui, de coctione, cruditatibus, crisibus, quas rejicit, miratur non mediocriter.

Purgantium, emeticorum, stimulantium in plurimis casibus, in quibus adhiberi assueverant, usum valdè suspectum habet.

Quæ qualisque hæc doctrina est ac erit, hic fortasse petet lector aliquis curiosior. Sæculo proximè elapso, dum suboriebatur electricitas, petebatur à *Franklino* quale de ea secum fovebat judicium (1) infans est, inquiebat vir summus, qui nascitur, labens ejus ætas evolvet quis sit futurus, masculas an sit habiturus vires, an imbelles.

Nunc nunc hæc si ita sunt, quis æquus rerum arbiter, quis judex idoneus, sese ex eo offensum sentiet, quod tali, alio tempore, ut et præsenti, ad morem diei receptum non scripserim: quis autem ita scripsissem; dum ita scribendo à quo

---

(1) C'est un enfant, disait-il, qui vient de naître; savoir s'il deviendra un grand homme.

medicinam doctus sum, sexies dejectus, sexies cecinissem palinodiam.

Post ardua, diuque protracta studia mihi tandem in mentem venit, cognitioni adæquatæ essentiæ morborum, medendi methodum superstruere, ex ea indicationem haurire constantem eique adimplendæ apta remedia applicare, consequenter levi ex ratione non mutanda.

In methodum hanc, cujus mei, scientiæ generisque humani tantum interesse ratus sum, acquirendam, firmoq. incrustandam fulcro, sequens ratiocinium mihi filum dedit, quod ad viritatém ducat, fundamentumque cui superstructa, consistat inconcussa.

In integritate omnium corporis functionum consistit sanitas, in unius pluriumve læsione morbus degit. Simplex si una, unusque læsionis modus. Complicatus vel multiplex si læsiones plures, uniusve plures modi. Gravis periculosus, si functio læsa, proximius ad vitam pertinet; atque cæteris paribus eo levior, quo partibus insidet ignobilioribus: autem facile concipere datur, neminem ullum, qualiscumque ille fuerit, vel functionem læsam cognoscer, evelminus hanc in sanam restituere posse, qui ab ante sanas, quoad omnem earum extensionem, apprime non fuerit pescrutatus: quare in apricum venit

à sanarum cognitione adæquata esse incipiendum; et ita nullum, alicujus ponderis practicum esse posse, qui physiologiam non callet adamussim.

Verum enimvero ex hac sibi comparata scientia, non solum functionum, quales in statu sano peraguntur, elucescit notitia, at simul ex hac ipsa, ea acquiritur conditionum, quæ ad integritatem hanc requiruntur, in quarum unius, aliusve absentia morbus versatur : qui consequenter proximius consideratus, nihil aliud est quam defectus conditionis physiologicæ : qui absentiam hanc aut defectum conditionis novit, jam bonam partem illius habet, quod ad curationem rationalem felicemque postulatur.

Tamen hocce fretus commodo, ea propter non hic steteris, ulterius progressurus, eo, donec modum determinatum; plures enim esse possunt, quo conditio data cessare incipit, attigeris : hunc autem acquirere, interstinguere atque probè cognoscere, præcipuum est quod in arte medica didici ac disci potest et sine quo, mea opinione, omnis alia morborum notitia vaga est atque incerta.

Assumamus, ex infeliciter vegeta morborum

segete, exemplum promiscuè unum, quo res clarior evadat atque intellectu facilior.

Sit læsa v. g. urinæ excretio, qua suppressa, quæ sub ischuriæ nomine venit, noscas nunc hanc, ad solum nomen restrictus, et ex quo audito, tibi ad manus sit, remediorum diureticorum catalogus, quorum uno post aliud adhibito, penuque exprompto ægrotans, si temporis interea vitam cum morte non commutavit, sorti suæ miseræ relinquatur, hanc aio, si ita nosti, ne vel latum pollicem ad ei medendi methodum accesseris, imo nihilum nosti si defectum conditionis ignoras ex quo pulullat : cognitio autem hæc ut jam ante insinuavi acquiritur sequentem in modum.

Ex physiologicis constat ad urinæ excretionem requiri, ut in renibus secernatur, secreta in pelvim, transiens, per liberos ureteres in vesicam deponatur; donec vi ejus contractili, concurrente prelo abdominali, per non impeditam uretram, foras expellatur : conditiones ergo requisitæ sunt.

1° In renibus secretio.

2° Per pelvim in ureteres liber transitus.

3° In vesicam depositio.

4° Ex hac per canalem uretræ foras expulsio.

Ex harum quatuor concursu fit libera excretio, qualem requirit sanitas, ex unius alteriusve defectu fit ejusdem suppressio.

Verum enimvero si conditio illa, alterave, qualis illa fuerit, deficeret semper eodem modo, hic requiescere posses, dum ex hoc noto tibi præsto esset indicatio, unà cum remediis ad curam : jam autem conditio data deficere potest modis pluribus, pro quorum diversitate, diversa est ineunda via : quare omnino necessarium fit eum determinatum, ut dixi, modum, quo ipsa conditio deficit, cognoscere : sic in primo casu, in quo ischuria dependet à non secreta urina; indagandum venit qua ratione secretio illa suspendatur : suspendi autem potest.

1° Qua latex serosus deficit in massa sanguinea, ex evacuatione ejus per cutim, per alvum.

2° Qua idem à renibus derivatus, alio ruit ut in diversis hydropis speciebus.

3° Qua obstructio in arteriis emulgentibus locum habet; ob constrictionem, obstipationem, compressionem, etc.

In 2^do casu potest liber transitus in et trans pelvim per ureteres desiderari.

1° Qua compressi, in parietibus suis ins-

pissati, ut oppositi sese contiguè tangant, concreti, etc.

2° Qua corpus heterogeneum impactum lumen eorum elidit, quale sæpe calculus suppeditat, grumus sanguinis, etc.

In 3^tio casu.

1° Qua vesica in se contracta, concreta, fortè calculo oppleta, ita ut in deficientem cavitatem urinam recipere recuset.

2° Qua per aperturam morbosam, deposita urina aliò fugit, quale hisce diebus exemplum in hujus urbis jurisconsulto vidi, dum per rectum urina effluebat.

In 4^to casu.

1° Qua ipsa vesica vim suam contractilem amisit ex paralysi; fibrarum ejus ultra sphæram activitatis expansione.

2° Ex ejus rigiditate aut, quod frequentius incidit, ex incrustatione ejus calculosa, et quod accidere potest ex torpore ejus tali ut qua, v. g. muco spisso obsessa, exitum suum sollicitantis urinæ non sentiat aculeum.

3° Ex obstructo ipsius orificio qua tumefactum, concretum, compressum, etc. Dein ex obstaculo, quod ab ipso vesicæ exitu, usque ad extremam rimam in uretra existere potest, diversi valde genii, qualem causam post se

frequentissime blennoraghia venerea relinquit.

Quomodo nunc ex hisce ita positis, argumenti dilemmatici ope, modus determinatus, à quo in casu dato morbus pendet expiscari debeat, sufficienter docuisse puto in opusculo *de certitudine in medicina, methodoque illam in hac acquirendi,* quorsum lector recurrere dignetur.

Methodus hæc fateor, longa est, laboriosa, numerosis difficultatibus, et quidem talibus plena, ut, dum pauci sunt qui eas superent, jure timendum sit, ne tam facile et tam cito admittatur universim : verum laboris molestiam mitigabit, studii fastidio occurret, asperitates cunctas et singulas emolliet, quod inde exsurget summum ægrotantibus emolumentum, quod frustra aliunde speraveris aut expectaveris.

Quidquid nunc ignari clamitent, invidiosi obstrepant, veritatis, quam nec attingere valent, osores, novitatum varii semper et mutabiles patroni vociferent : non nisi sibimet, vocali ignorantia, quam proprio ore proclamant, nocent.

Equidem, qui medecinam pulchrè docti sunt, atque rem hanc perscrutati fuerunt, non perfunctoriè, eamque cum aliis, plus minus sistematicis, et quarum uni labenti suc-

cessit continuo alia, etiam lapsura comparaverunt, fatebuntur facilè illam unam veram esse posse, cæterisque omnibus facilè et longè præripere palmam; et istum qui inter laboriosos generososque mortales, ita eundo per singulos morbos, talem eorum pingeret imaginem, fulgentem scientiæ medicæ procuraturum splendorem, qui, facis lucidæ adinstar, præteritas, præsentesque tenebras dispellat, futurasque fuget ab exortu, generique humano incomparabile præstiturum beneficium.

In horum, aliorumque intercurrentium, ut in ipsius melænæ discussione, lectoris indulgentiam imploro ac benevolentiam; aliis qui validioribus gaudent humeris, perferenda, perficienda, absolvenda ultro volensque relinquens quæ minus condita, concinna minus potuero allegare.

TRACTATUS

DE

MELÆNA MULTIPLICI.

CAPUT PRIMUM.

De Notione morbi nigri huc usque incerta.

DUM morbus niger, nigris æquè ac profundis in latebris, per plurima successivè labentia sæcula ab ipsius *Hippocratis*, qui licet novemdecim generationum locupletissimus et magnificentissimus hæres, de clarâ ipsius ideâ, sibi blandiri ita talem suis coævis nec posteris communicare potuit; ab ipsius, inquam, temporibus, in nostras ferè usquè dies, latuit; tandem recentiorum industria, modernorum diligentia, ad aliquam, saltem, lucis altitudinem exantlatus est: ita tamen ut adhuc densæ satis involutus hæreat caligini; dum nec essentia ejus aut causa proxima, ex quarum notione reliqua derivari debent, usquedum in aperta posita luce rutilant, et quidem de materiei, quæ in hoc morbo ejicitur, natura ac indole plurimùm inter contemporaneos disceptatur.

Incertitudinem hanc agnoverunt non difficulter candidi ac sinceri rerum medicarum scriptores, in-

ter alios, suo tempore, quod pro parte nostrum fuit, in epistola ad amicum suum *Zimmermannum* data, de hoc sequentia scripsit elegantissimus *Tissotus:*
« Benevolus tuus genti humanæ animus spem facit,
« amicorum integerrime, non ingratas fore nuper-
« rimas duas observationes quæ *in obscuras morbi*
« *nigri æthiologiam ac praxim* non nihil radia-
« bunt. »

Nullus igitur mireris quod, quoad ea, quæ huc pertinent, diversas in partes authores abeant, diversas ideas foveant medici, diversâ medelâ eum aggrediantur practici (1); ita, ut de reliquis taceam, quod humorem dejectum attinet, dum antiquorum opinionem longævam atræ bilis, pro aris et focis defendunt alii; alii pro sanguine stagnatione degenerato, indefessè patrocinantur, doctrinas suas utrimque urgentes acriter; reliquis pro diversitate circumstantiarum sententiam, ut aiunt, amplectentibus alterutram.

Præsentem incertitudinis statum, si dejecta respexeris, legere est in lectu digno diario montepessulano, docto, celebris nostri collegæ domini *Beaumes* penicillo adumbratum.

Præcipua solùm, idiomate latino, stylo aphoristico, brevitatis causa translata atque contracta, huc referam: reliqua in dicto diario mensis aprilis 1811 curiosus lector inveniet.

---

(1) Nostrates medici, patriæ nostræ honori, non nisi unam omnes de Melæna ideam fovent, eam non nisi ex sanguine corrupto oriundam autumantes.

« Vix ullus morbus est qui ex parte practici, « quod causarum cognitionem, diagnosim, prog- « nosim, curandique methodum attinet, atten- « tionem requirit majorem, quàm *melœna.*

« Modernis debetur prætiosa utilitas morbum « hunc ritè observavisse, evolvisse; curandi mo- « dum suppeditasse appropriatum ». *(Quantùm hœc à veritate distent, ex subsequentibus facilè emetietur lector intelligens.)*

« Manet nihilominus, quoad dejectorum indolem, « opinionum diversitas.

« In primis dominus *Fourcroy* celebris apud « Parisienses chemicus, *non nisi bilem* se invenisse « ait in canali alimentario duorum cadaverum eo « morbo extinctorum.

« E contra dominus *Portal*, non infimi subsellii « medicus, opinatur materiem dejectam, merum « esse sanguinem.

« Huic adstipulatur *Nicolaus Boutelle*, ulterius « allegans in vasis mesentericis et splenicis morbi « sedem esse, quemque commodè hæmorrhagiam « putridam vocare possis.

« Dominus *Clos* unà cum domino *Rogéry*, ultra « possibilitatis limites auguratur, sanguinem etiam « post protractam in visceribus moram tantam, « quæ sub transitu aut transeundo, fauces inflam- « met, contrahere posse acrimoniam, atque in tan- « tam degenerari posse aciditatem, quæ dentes he- « betet, cumque cretaceis ferveat : additque qua- « litates has, nullius, nisi bilis esse, cui soli, dum « degenerata est, competit morbi nigri nomen.

« Dominus *Percival*, natione Anglus, in eandem « inclinat opinionem, atque arbitratur, ei contra- « riam sententiam, quæ morbum ex sanguine, in sto- « machum aut intestina extravasato repetit, inibi- « demque nigrum colorem contrahente, quem, iis « inclusis substantiis, communicat, derivat; ex « eo suspectam fieri, quod concipere non detur, « quomodo latex is tum solùm evacuaretur dum « nigrefactus est, ubi potius rutilus, qualis est, foràs « prodire deberet, subjungitque, indolem viscidam « acremque, nullatenus sanguini at totam bili com- « petere, cujus maximam acrimoniam violentissima « tormina, quæ in diarrhæa at præcipuè in dyssen- « teria observantur, evidentissimè evincunt.

« Finaliter domini *Beaumes*, *Pavone*, *Rondelet*, « nunc hanc nunc illam, bilem aliàs, aliàs sangui- « nem morbi causam constituere in placitis habent, « morbumque, dum à bile venit *melœnam atrabilis* « *et dum à sanguine est melœnam hœmorrhagicam* « appellandum esse arbitrantur. »

Cum heterogenea hæc, inter se disceptantia, contraria, viribus oppositis sese plus minus elidentia, unam solidam doctrinam constituere nequeant : cuncta et singula ad incudem revocare mihi animus est, ut severi ratiocinii malleo indesinenter concussa, scoriæ à puris avulsæ ac separatæ avolent solaque supermaneat genuina substantia; id est, erroribus dispulsis, una veritas.

Ergo primum argumentum à domino *Fourcroy*, qui *solam bilem* sese reperisse ait, allegatum, quod

attinet, hoc pro uno fulcro, ni fallar atque fundamento habet *verbum vidi*, cui, si ea quam plurimi inter modernos materiales medecinæ observatoriæ patroni, ei nimis generosè largiuntur, foret vis atque potentia constans ac invincibilis : meherclè non diu staret doctrina qualiscumque; etiam basi innixa solidissimæ, dum cuilibet, etiam vel videre inepto, vel incupido Straboni, per quam facile fuerit, eam vocis hujus vi omnipotenti integrè enervare ac funditus subvertere.

Equidem suam stare testimonio sensuum externorum veritatem atque certitudinem, licet nihil abnuo, nihil disputo, multo minus nego : tamen horum usus licet per se, ex ipsissimo Creatoris decreto ad veritatem ducat, nihilominus frequenter ratione præjudiciorum, *pravorum affectuum* aut *levitatis*, longo ab ea intervallo abducit : quæ aberratio ut præcaveatur certas quasdam et non invalidas logica artificialis regulas præscribit quidem, verum hæ semper et ubique executioni mandentur multum abest, et hìc certè non fuêre uti etiam non fuerunt à prædecessoribus ejus collegis *petit* et *fabre*, qui vesiculas seminales, earumque appendices, inflammatas, ulceratas se *vidisse* asseruerunt vix non in omnibus cadaveribus hominum gonorrhææ tempore mortuorum.

Supponamus parumper doctum ac celebrem chemicum parisiensem non nisi bilem in intestinis *vidisse* : tum sanè unanimi omnium apprimè doctorum consensu, eam *videre* atque distinguere non potuit,

nisi qua dotibus suis notis, colore flavo, viridi, gustu amaro, odore leniter moschato etc. oculis ejus sese obtulit : nunc autem quomodo notas has invenerit in morbo nigro, dum in eo materies dejecta; nigra, atrave est, odorem animalis recenter mactati ut Galli vocant *odeur de boucherie* (ou *plutôt* de tuerie). Spargens si directè ex vasis foras prodit vel eum putredinis, si post extravasationem moram iń intestinis vel stomacho fecerit parumper longiorem.

Si talem bilem solam, suis jam dictis qualitatibus distinctam atque conspicuam non viderit citatus author, at sub alia forma, sub aspectu alio : quomodo tum et quibus mediantibus signis potuit discernere atque determinare humorem visum bilem fuisse ? quomodo probabit materiem hanc nigram ex bile conflari, dum quantum novi, nemo liquorem hunc nigrescere demonstravit ?

Verum si bilem vidit, eam vidit, quæ extitit, quæ si extitit in suis duobus casibus, debuit sanè extitisse in pluribus aliis, imo si doctrinæ biliosæ sua fides atque constantia, in omnibus : autem quidni tum fuerit visa frequenter et ab idoneis observatoribus et à nobis, qui sæpè satis hunc morbum vidimus atque tractavimus et in quo semper conspeximus materiem evacuatam, quidem sub ipso evacuationis momento; ut omnis absit suspicio contactum aeris, quoad colorem, aliquid mutare potuisse, *condimento leporis sanguini suo incocti* simillimam, quam nemo, nisi ex mera hypothesi pro bile assumpserit.

Deinde detur, quod per momentum facilè dedero, nihilominus axiomatis metaphysici non immemor *possibili posito in actu nihil sequitur absurdi*, materiem, quæ hic dejicitur *bilem* esse.

Erit hæc, quæ ita eliminatur vel sana vel morbosa.

Si hoc; nihil clarius quàm quod ejus evacuatio prodesse, morbum infringere, ægrum alleviare debeat : in genere enim etiam secundùm antiquum *Hippocratis* effatum, *si quæ evacuare oportet, evacuentur, confert et facile ferunt* : jam verò quis practicorum, imò ægris adstantium aut inservientium, ille ultimus est, qui hujus humoris expulsione, ægritudinem, saltem dùm paulo gravior est, minui, ægrum refocillari vidit : dum semper et ubique morbus erumpit cum malis, imò non infrequenter, cum pessimis ægrotantis rebus, quidem quandoque talibus, ut sub ipsa evacuatione, paucorum minutorum tempore eum eo redactum viderim ut ipsius mortis ipsissimam referret imaginem; et quem semel iterumve, sub ipsis meorum collegarum oculis raptum ad plures inaudivi atque novi.

Quod plus est, si bilis corrupta, degenerata causam morbi suppeditet atque materiem, sole meridiano clarius patet, nihil tum hìc magis, quam promptam ipsius evacuationem, et ita, quod eam efficacissimè prolicit, vomitorium indicari : verùm quis eo temeritatis atque imprudentiæ incesserit, ut aleæ tam metuendæ summum imò ultimum discri-

men subire ausus fuerit; dum ita perquam facilè rupturam vasorum induxerit, qua, una cum latice vitali, vita avolet.

Si illud, id est si sana sit, talem ejus conditionem cum latice morboso non solum nihil commune habere, ast cum ipso pugnare jam vidimus et practicorum ultimus novit.

Resumendo : nunc chemicus parisiensis bilem vidit vel non vidit; si vidit solam, non fuit morbus niger : et si fuit morbus niger, implicat ut eam solam, viderit. Verbo quo se cumque vertit, nodo se implicat insolubili.

Alterius prosapiæ, pro bile, contra sanguinem, ut causa morbi materiali argumentum adferunt domini *Clos* atque *Rogéry*, opinantes, ut jam statim dixi, ultra possibilitatis limites stare, sanguinem ita degenerari posse ut, etc.

Sanguinem, quà talem, per se, aliisque corporibus heterogeneis, quæ ipsius non sunt, non immixtum, etiam post longævam in ventriculo aut intestinis moram, in tantam transire non posse acrimoniam, ut fauces transeundo sub vomitu, rodat, inflammetve facilè concessero, atque adhuc multò facilius id largitus fuero, eum numquam talem contrahere posse aciditatem ut dentes hebetet, ferveatque cum cretaceis : verum dum jam hac labe sanguinem exemeris : an idcirco cum aliqua veri aut rationis specie eam culpam cum æquitate in bilem injeceris ?

Reticendum hic non est, neque dissimulandum,

certis in casibus ipsam bilem, virorum fide dignorum testimonio, summam acrimoniam aut habere per se, aut datis sub circumstantiis contrahere posse : sic hanc calidissimis in regionibus, habere legitur in physiologia Halleri, tomi sexti, pagina 551, ita ut ea piscis *guamajacuatinga*, tum ea Buffonis *cururu* apud barbaros inter summa venena habeatur; « neque ego, inquit *Hallerus*, dosim majorem « fellis cyprini deglutiri suaderem, in tanta acer- « bitate saporis » ulterius humorem hunc sub quibusdam violentis animi pathematibus summopere acrescere posse invenitur apud alios : verum hæcce omnia ac singula, licet, ita sese habeant, fatebitur tamen facilè quisque bonus cuncta hæc qualiacumque sunt, esse *de raro contingenti*, à Melæna extranea, quare illius non sunt computanda.

Jamjam quod alteram qualitatem, quæ cum cretaceis ferveat, quis eam illi cum rationis umbra tribuerit, qua, propria sua natura exuta, tam alienos à suis mores, qui essentiam ejus funditus subvertant, indueret, ut dum omnium corporis animalis humorum ille est, qui et facillimè et citissimè putrescit; dum in cadaveribus prima putrescentiæ signa sese circa hepar manifestant, jam in eam præcisè mutaretur indolem, quæ ipsi diagonaliter opponitur.

Quod plus est phænomena hæc (erosio, cum absorbentibus effervescentia) sæpè abesse vidi, mecumque vidêre attenti practici : quare dum neque constantia sunt neque perennia, nemo hæc ad

essentialium aut attributorum classem retulerit, ad accidentalium solummodo pertinentia : unde non mireris hæc ex alia scaturigine esse haurienda; autem quænam illa sit, in decursu demonstrare annitar.

Supponatur finaliter qualitates has, corrosivam ab una parte, acidam ab altera sanguini ipsi, vel etiam, si mavis, bili qua evectæ, degeneratæ inhærere, alterutrum sit parum refert; supponatur, inquam, ex tali tam acri humore morbum produci : dum jam hic non solum per os, sed etiam per anum evacuatur, quomodo vis exin non oriantur in abdomine dolores violentissimi, colici, dyssenterici, quales hic oriri sane oporteret in partibus (stomacho et intestinis) quarum sensi irritabilitas, cum ea cordis, in scalæ sensi-irritabilitatis summo, posita, dimicare statuitur ab illustrissimo *Hallero*, dum in minus sensibilibus, sicuti faucibus, tam acres oriuntur ac violenti; dolores hi in abdomine deberent esse eo magis acuti in intestinis quod materias peccans lento motu progrediatur, respectu illius qui sub vomitu locum habet, quo vilitando quasi per æsophagum et fauces foras ejicitur, nihilominus illas erodens : jam autem quis ille est, qui, dum similibus ægris medicinam fecit, frequenter non observavit vix ullum sub evacuatione talis materiei observari dolorem, quin contra ægros sæpe liberari ab illo, qui eos ante expulsionem vexabat, nunc vasis à distrahente molestante sarcina libertatis.

Neque hic sanguis, ut causa morbi nigri, ultimum nactus est adversarium : contra eum enim adhuc insurgit, vel potius ea labe ipsum eximere annititur dominus *Percival*, natione Anglus, profertque, sub captum ejus non cadere, quare, si morbus à sanguine sit, hic numquam foras prodeat, quàm dum nigrefactus est, ubi deberet meliori jure rutilus, qualis in canalem alimentarium effunditur, in lucem prodire : observat deinde, consistentiam spissam, picis adinstar à bile facilè, à sanguine nullatenus repeti posse; subjungitque finaliter, eo majori cum fundamento acrimoniam ab ea esse derivandam, dum ea in aliis morbis, ut diarrhæa, dyssenteria evidentissima est.

Quod huc spectat videtur scriptori anglo, aliquis, isque non levis, error subrepsisse : dum vomitum cruentum alvumve similem cum morbo nigro confundit evidenter, insinuat enim in hoc sanguinem rubrum in tubum cibarium extravasari jam autem talis non est Melænæ conditio, dum numquam is eo pervenit nisi postquam à longa stasi in vasis abdominalibus, et ita à transitu per pulmones, in quibus amissum colorem rubrum (1) recuperat privatione, colorem suum naturalem cum atro commutavit, uti semper commutat dum à contactu aeris removetur (2).

---

(1) Hoc non obstante differentiam inter colorem sanguinis arteriosi et venosi tam parum sensibilem statuit Hallerus ut eum ubicumque stabiliat *homogeneum*.

(2) Hinc deduces facilè non omnem sanguinis nigri evacuationem morbum nigrum denotare : potuit enim ruber ex vasis suis erupisse et per moram in intestinis fuisse nigrefactus.

Pultaceam hanc inspissatam substantiam, cum pice à potissima scriptorum parte comparatam, cum aliis arbitratur idem à bile, non à sanguine derivari posse atque debêre.

Equidem quod comparationem hanc spectat dicere liceat, eam in omnibus non esse apprimè exactam: etenim, licet materies in Melæna dejecta quoad colorem satis cum pice congruat: tamen id quod consistentiam spectat, eodem modo sese non habet dum ea hujus tenax est, difficiliorisque divisionis, illius vero minimè cohærens, ni heterogenea mucus, v. g. aliave ei immixta sint, facileque secedens, quæ qualitas etiam à bile aliena est, quæ dum in receptaculis moram egit plus minus filamentosa est. Dein detur comparationem omnino quadrare inter picem et materiam dejectam, ut argumentum pro bile locum habeat, deberet esse demonstratum hanc nigrescere posse, quod non est.

Ultimò si tractatûs mei de dyssenteria notitiam habuisset dominus *Percival*, profectò multum dempsisset evidentiæ, qua bilis summam acrimoniam in dyssenteria demonstrare arbitratus est: vidisset enim evidentissimè, sic patulam evidentiam tam parum evidentem esse ut totus error sit. (*Traité de la dyssenterie. Troisième édition.*)

Nunc nunc si à longo retro tempore, ne dicam ab ipsa medecinæ infantia, at præcipuè versus medium sæculi proximè elapsi à scriptorum parte laudabili; præ cæteris à Viennensibus, corriphæo *Maximiliano Stoll*, in bilem, ut plurimorum mor-

borum (1) causam, culpæ nimium fuit injectum : non minus ego, jam ab aliquibus retro annis, ea labe in producenda dyssenteria, similibusque morbis, mecum sentientibus coævis, exemi ac liberavi, dum jam etiam hanc hic, in morbo nigro producendo ream accusatam, absolvere conabor ut jam inde pro aliqua parte absolvi.

Verumenimvero si mordacissimus sententiæ suæ patronus, pro aris et focis, in prædecessorum doctrinam jurans, possit adhuc reperiri aliquis, quem huc usque allegata argumenta non convicerint ; vertat suos oculos, si, qui videant, oculos habet, versus fatalem illam tristissimorum symptomatum catervam, quæ aliquando simul et semel, misero ægroto cumulatim incumbunt atque eum obruunt ; videat subitam illam summamque dejectionem virium : contempletur ægrum, bovis ad instar, in humum corruentem : aspiciat fædam illam vultûs ejus decompositionem, calceum totius habitus pallorem, illum visui quàm maximè ingratum livorem : consideret gravem lypothymiam, syncopen, quæ omnium animis non levem metum incutiunt atque terrorem ; calculet frigus marmoreum, imo mortem ipsam et animo suo sincerè obvolvat ; si, unde et quomodo fatalem hanc seriem à bilis evacuatione, cum vel minima probabilitatis specie, contra rectum rationis usum derivare valuerit. Pone et etiam

(1) Qui sedulo ad lectos ægrorum, morborum indolem ac decursum observat, videbit facilè partem quam in iis producendis habet esse reipsa minimam.

generosè pone, totam, integram bilis officinam penitus funditusque emulgeri : an id propter vel minimum dempseris de cordis et vasorum irritabilitate? an ea ratione laticis vitalis copiam imminueris ant stimulantis ejus virtutis energiam infregeris ? et dum neutrum effeceris, quomodo jam subsistente, cum reqisita irritabilitate, stimulo sufficiente, contra notissimum id æquè ac verissimum, quod subsistente causa, subsistere debeat effectus, quomodo, aio, circulum interruperis? Et si non interruperis; unde jam dictam subitam ac summam dejectionem virium cum vultûs decompositione, pallore, frigore, hypothymia, syncope et quandoque morte ipsa, silentis, quieti, suspensi aût et sublati circuli effectibus, derivaveris ?

Si novimus in primæ digestionis officina, bilem, partes suas, easque non infimas ludere : novimus etiam potestatem ejus canalis cibarii limitibus circumscribi, cancellisque ejus includi, actionemque illius in systema circulatorium, saltem directam, absolutè nullam esse : dato enim hepar totaliter obstructum esse, quod non invulgare vitium est, ita ut ne vel guttula bilis se-et-ex cernatur, observamus nihilominus vitam æqualiter firmo incedere talo : si nunc omnis bilis fuerit evacuata, nonne hic ut in priori casu res eo redit, utrumque in hoc coincidit ut universum corpus ea careat ? igitur si in priori casu circulus non interrumpatur, quamobrem interrumperetur in posteriori, similium similis est ratio : supposito ergo Melænam à bile esse, impossibile est ejus in

lucem erumpentis terribilia symptomata ab ejus evacuatione, aliave modificatione desumere.

Prætereundum non est me quondam, scholæ et quorumdam authorum inter alios *Swietenii*, qui de atrabile in commentariis ad aphorismos *Boerhaavii* in longum et latum disserit : et scholæ inquam et quorumdam authorum imbutum principiis, ne vel minimum de atrabile, ut hujus morbi causa, dubitasse, eo usque, dum ad primum casum, qui hujusce speciei mihi tractandus obtigit, obstupefactus hærebam, quo me verterem nescius, videns ad evidentiam inculcatam theoriam cum ipsa natura, cum ipso facto, oculis subjecto, ex opposita parte pugnare : quare casum hunc cum suis circumstantiis hìc enarrare nec inutile fuerit aut incongruum.

Anno 1783 accersebar ad hujus urbis braxatoris uxorem, matronam dignissimam, amicorum meorum intimi matrem, ætatis quadraginta annorum et ultra, qua, jamjam emansuri menses irregulariter fluere solebant. Ex prægressis præsentibusque cognoscebam non difficulter, fæminam hanc sic dicta atrabile laborare : in eam sensim sine sensu solvendam, ex ergastulis suis dislocandam dein prudenter evacuandam, annitebar totis viribus. Successivè labuntur dies, prætereunt hebdomadæ atque menses, quibus labentibus, nunc paulo melius, nunc paulo pejus sese habebat, insensibiliter ad fatalem morbi explosionem properans, quæ mihi summi metûs fuerat dies noctesque objectum continuum, non ob veram rationem, quæ mihi timorem

hunc incutere debebat, sed ob omnino aliam, mente præconceptam, in qua, absque eo quod hunc suspicabar, error meus versabatur : timebam videlicet dum jam acerrima illa bilis, quæ lapides erosisse scribebatur, redderetur mobilis, deinde versus intestinum duodenum forte ad stomachum, aliasque tubi moveretur alimentarii partes, ne ex ejus attactu ad partes tam sensibiles, tam irritabiles, summæ turbæ, dolores nempe cardialgici, dyssenterici, colici violentissimi, alii irritationis summæ effectus violentissimi, convulsiones etc. orirentur equidem ex data theoria ita ratiocinari, non erat à datis regulis alienum.

Tandem quodam matutino tempore, intra decimam et undecimam, advocor subito ad ægram, quam narrabant jam morti proximam, et fortassis eo ipso momento jam e vivis ereptam, accelerato, duplicato passu eam accedo, ruminans in semita torminum pertimescendum, quæ, in motum atrabilis, non poterat, mea opinione, non produxisse : conflictum; et ecce sub ipsum in domum ingressum, obvio eploratis; jam factam ejulantibus jacturam, et dum cubiculum ingredior, conspicio exanimem ægram supra culcitram extensam, ipsissimam mortis imaginem. De ægra conclamatum esse jam pronunciaverat, qui fortè aderat, parochus optimus : in rem inquirens avidissimè; nihil magis cordi habebam, quam turgidam mentem meam exonerare et ita præsentes interrogare de violentis abdominis torminibus et quomodo eam hic fue-

rat cum his luctata ægrotans. Interrogatum quotquot aderant, summopere admirati, respondent simultaneè, uno omnium ore, de doloribus nec fuisse nec esse quæstionem; ab iis eam integrè fuisse liberam; eam solummodo de summo angore fuisse conquestam, quem subito insequebatur, maxima, tam sursum quam deorsum, ad quatuor vel quinque matulas, materiæ nigræ quæ vix aliquem secum ferebat odorem, evacuatio; cui, ictu oculi fere citius, superveniebat tristissimus ille status, in quem injectam illam conspiciebamus.

Narratio hæc inexpectata, nova, inaudita mihique maximè mira, stuporem injiciebat non mediocrem, silentium incusabat profundum, vocem altis figebat faucibus. Quid conciperem, quid judicarem; quod plus est, quid pronuntiarem, quid agerem nescius, me undique vertebam, in omnem sensum cogitationes dirigebam, quomodo me angustiis extricarem atque errorem celarem; donec tandem in mentem venit, acerrimam, causticamque materiem, certo certius subitam induxisse gangræ-nam; unde, saltem apparens, fluebat fædorum symptomatum explicatio: equidem ubicumque quærebam, probabilius aliud invenire non poteram; urgeo quantocius accerseatur laudabilis extracti corticis peruviani quantitas, jubens ut temporis interea decoctum ipsius saturatum præparetur: igitur ut bona dicti extracti dosis, vino rubro immixta frigidè per anum injiciatur curam habeo, utque simul, sine longa intercurrente mora, eadem

operatio repetatur, similesque fomentationes, etiam frigidæ, abdomini applicentur, continuo renovandæ, ea spe, ut, si possibile sit, præsens instansve gangræna, quæ mentem meam, potius quàm ægrotantem, occupabat, superetur.

Post quatuor vel quinque injectiones, postque unius aliusve horæ laborem strenuum, videtur è longinquo reviviscere parumper, ex asphyxia exsurgens, misera decumbens; continuantur eodem ritu cuncta et singula, quæ spem nascentem amplius, ampliusque roborare apparent, tandem vini pauxillum offertur deglutiendum. Advenit decoctum corticis camphoræ nuptum, unde pars per anum, pars per os ingeritur, alia denique abdomini imponitur, augetur vini rubri meraci deglutiendi quantitas : et ecce die vesperascente, jam è periculo emersa videbatur, aliquatenus refocillata, unde deinde sensim sine sensu convaluit.

Si quandoque audaces fortuna juvat; juvat etiam, ut patet, aliquando ignaros : etenim felici perquam fato accidit, ut remedia mea antigangrænosa, etiam eodem tempore essent, casui posito, bona cadente fortuna, valdè appropriata : cujus contrarium si contigisset, ut in tam crassa ignorantia facilè accidere potuisset certo certius ægrotam meam ex falsa animo infixa theoria, orci faucibus tradidissem.

Casus hic, omnium, hujus morbi, quos vidi primus, atræ-bilis doctrinam, incertam, dubiam mihi reddidit et plusquam suspectam, supererat abscon-

ditam quærere veritatem, in quem scopum attingendum, quos poteram invenire (inveniebam autem paucos bonæ notæ arripiebam), libros, de hoc morbo tractantes, disserebam de eo indesinenter cum veteranis hujus urbis practicis, quibus hæc tum temporis gaudebat, tam numerosis quam doctis et qui juvenem valde collegam instruere non dedignabantur; sic tandem post longam tædiosamque luctam latebris emersus perveni ad lucem.

Antequam caput hoc deseram, liceat hìc à fervidis ac pertinacibus bilis patronis petere, unde bilis ad aliquas matulas, ut hic, copiam illam derivent ac hauriant : dum totum bili-parum, biliferumque sistema, etiam multiplicatum, ne vel fractionem ejus, saltem notabilem, continere potest.

Si nunc bilem, qua causam melænæ, re ipsâ non nisi ens rationis esse, in demonstratis haberi potest : facilè patet, quid de illorum opinione judicandum sit, qui in eo morbo procreando, nunc hanc nunc sanguinem accusant.

CAPUT SECUNDUM.

De seminiis morbi nigri.

Res in hoc morbo producendo occurrunt, de quibus jure dubites, an ad seminiorum potius, quàm ad potentiarum nocentium classem releganda veniant : dum alterutrius æquè, et quod plus est, utriusque aliquando vires æquales possidere viden-

tur : assume exempli causâ vitam sedentariam, eam præ cæteris, quæ incurvato corpore peragitur; sub hac ratione quietis, lentior, tardior atque minor fit respiratio (1); ita prælum abdominale minus agit; exin sanguis per vasa sistematis venæ portarum minus urgetur, minus promovetur, minus propellitur, certo sensu accumulatur atque ad eadem, et in iis colligitur : nunc qua situs incurvatus adest, per vasa ad talem aliumve angulum aut arcum inflexa, circulus magis magisque impeditur; fit ad stasim ita ad morbum prædispositio; quare hæc eatenus ut *seminium* agit : assumè eamdem, qua protractam, eatenus ipsius ope vasa infarciuntur sensim sine sensu, amplius, ampliusque, circulationi subnatum impedimentum crescit eundo, donec tandem transitus sufflaminetur, ad stagnationem, quietem, liquor vitalis reducatur; unde morbus : quare hac ratione, ut patet potentiæ nocentis fungitur vicibus : dum revera eodem tempore, ut in apricum venit, utriusque partes agit.

Assume adhuc partum repetitum, cum repetito bracherii neglectu, de eo itidem, ut quàm mox videbimus, idem prædicaveris : verum enimvero cum aliæ causæ accidentales, et vix non semper occur-

---

(1) Quantum respiratio, quæ certo sensu ut corporis animalis respirantis antlia considerari potest, ad expediendum vel ad interrumpendum circulum, inter alia, per sistema venæ portarum prout intenditur aut negligitur valeat, suo loco demonstrare annitar.

rentes, constrictiones puta spasmodicæ ad epigastrium ex animi perturbati motibus oriundæ, aquoso tepidorum, oleosorum, mucilaginosorum abusu, etc. talia sint, ut eorum concursu morbus citius evolvatur, in seminiorum classe illa collocare, convenientius esse fui arbitratus.

Quantum reminiscor, ægritudinem hanc non habui sæpe tractandam in adolescentibus, multo minus in infantibus (1); casûs tamen recordor, pistoris mei filiæ, ætatis 18 annorum, quæ hoc morbo, in sat eminenti gradu, usquedum tamen tecto aut abscondito laboravit, et à quo nihilominus, meo quantulocumque auxilio integrè convaluit, pristinæ restituta sanitati, ita ut abhinc (à 5 annis) valeat panereaticè, præterquam quop ex pectore difformi plus minus anhelosè incedat, quæ morbosa conformatio potuit, per quam facilè, præcociori mali præmaturi productioni, ansam suppeditasse opportunam : reliqui omnes, qui curæ meæ fuêre traditi, erant cuncti ætate magis provecti, pars potissima jam versus quadragesimum vergebat ætatis annum et in genere potius ultra : est ergo in ætate hac aliquale seminium, quod ad fatale hoc incommodum, vitam insidiose suffodiens, prædisponit.

---

(1) Multum abest in his morbum existere posse aut aliquando existere negem, refero cum candore quæ observavi et si ego non vidi, dicunt nihilominus se vidisse alii; sic in collectione disputationum ad rem medicam facientium ab Hallero facta, tom. III, p. 107, invenitur casus, qui huc facit.

In genere hos, vel potius has, hoc morbo corripi observavi, quibus fibra laxa erat et debilis, quibusque relaxata abdominis viscera, adpulsis, advectis humoribus minus resistunt, unde eadem labe infecta vasa faciliùs distenduntur, justo magis dilatantur, sanguineque pigrè moto infarciuntur, onerantur.

Frequentissimè hoc morbo laborantes mihi occurrerunt fæminæ effetæ, quibus jam remanebat aut aliquamdiu remanserat mensium fluxus : sique alia ejusdem sexûs subjecta eo corripiebantur, vel ipsis menses supprimebantur, vel tædiosè magis, parciusque prodibant : est ergo in imminuto vel penitus suspenso periodico muliebri profluvio, aut fortasse potius in ejus causa, quæ parcimoniam hanc induxit, seminium aliud, ex quo morbus facilè evolvatur.

Deinceps in genere ad hoc malum prædisponuntur, omnes ii, quibus facilè suboriuntur viscerum abdominalium obstructiones : sic certa quorumdam classis opificum, ea agricolarum, eorum præsertum, qui inflexo corpore, ita ut tellurem fere caput attingat, sub solis ardore, sudoribus diffluentes laborant, ut hortulani; deinde sedentarii, litterati, etc. Quibus planctus quotidianus est de tumentibus hæmorrhoïdibus queri : indicio, nec obscuro nec æquivoco, sanguinem in sistemate venæ portarum, saltem in aliqua ipsius parte congeri atque accumulari.

Etiam eos, cæteris paribus, morbus adoritur fre-

quentiùs qui pectore angusto, male conformato laborant, aut quibus ex aliis causis spiritus difficiliùs ducitur.

In genere mihi observasse videor, eos qui hoc morbo corripiuntur, ex induratis non oriundo visceribus, habere sistema nervosum justo sensibilius, musculare æquo irritabilius.

Si, quæ jam dixi, ad morbum nigrum prædisponuntur subjecta : tamen præ cæteris omnibus quàm maximè, quàm frequentissimè matres aggreditur, quæ repetitis partubus numerosam prolem in lucem ediderunt, illas ante omnes, quibus sub finem partus laboris, *Bracherium de Gorteri*, sic ab inventore vocatum, licet hoc ante hunc diu *Boerhaavius* laudaverat, fuit neglectum; uti, proh nimium ! hodiedum negligitur; aut, quod in idem redit, malè sinistrèque applicatur.

Dum hucusque delineata individua potiùs quàm alia, et ad hanc ægritudinem magis quàm ad quamvis aliam prædisponuntur : aliqua, cum nihil sit sine ratione sufficiente, insit oportet ratio, quare id potius ita sit ac aliter : verum enimvero illa aliqua, quæ iis omnibus inesse debet, ratio, non potest esse diversi genii, neque deversa, aliena à se ipsa, talis in uno, heterogenea in altero casu, cum irrefragabilia metaphysices principia eam in cunctis et singulis exigant eamdem homogeneamque, id quod, quàm mox demonstrare conabor et quod hîc ut demonstratum, paulisper præsupponendum rogo.

Igitur si certum est atque indubitatum infantilem juvenilemque ætatem huic morbo minùs obnoxiam vivere, non minus patet in iis vitæ stadiis, rariores multo esse vasorum per viscera abdominalia distributorum infarctus (1) dum eos producentes causæ ab illis ætatibus longiùs exulant : ubi è contra in provecta magis, ad quadragesimum et ultra annum, præcipuè in sexu sequiori, eæ frequentiùs occurrunt et cum his occurrentibus sæpiùs progignitur morbus : quare in his quàm in illis majorem esse in hunc morbum pronitatem nemo est qui non videt, licet temporis interea dissimulandum non sit, argumentum hoc ex subsequentibus vires acquisiturum majores, quàm per se habet et huc usque habere videtur.

Si ex provido Creatoris decreto natura sistemati venæ portarum validius, quàm aliis vasis, imò quam ipsi aortæ, robur largita fuerit generosius : eum in finem ut, liquidi in motu fracti, causam in latera agentem frænet; expansionem præveniat, congestioni stasique sanguinis obstet : evidens est : quod, si vel à nativitate, vel à causa in vitæ decursu accidentali, universæ totius corporis compagi, aut saltem visceribus, sacco peritonæi inclusis, accedat laxitas, innatum robur infringi debeat, hinc minui resistentia, vis contentorum

(1) Cum infarctu vasorum sanguineorum confundendus ille non est qui in his, in eorum intestinis, ex farinosis, crudis, fructibus austeris etc. aut in glandulis conglobatis oritur.

lateralis prævalere facilè, vasa dilatari, humores accumulari, cum pedissequis, qui inde facilè profluunt, effectibus debeant : hinc facilè intelligitur cur morbus hic minus frequenter oriatur in iis, quæ fibra forti gaudent atque elastica, et ita quare laborantibus magis parcit quam otiosis, quibus debilior atque tenerior est solidorum compages.

Equidem fatalis hujus præferentiæ causam ac rationem in bile, ut verbo dicam, quæ in his iners semper est ac vapida; ad certum acrimoniæ gradum exaltata quærere, à rectæ rationis usu, toto cælo abludit.

Si menses remaneant, supprimantur, aut justo parciùs fluant, dum temporis interea chymi-chylisanguificatio ritè peragitur extra dubitationis aleam est, sanguinis eam partem, quæ singulis mensibus foras profluere solebat, ad vasa impervia collectam iri; plethoram particularem, congestionem sanguinis ad partes, utero circum vicinas, producturam: unde canales earum facilè onerantur, tument, dilatantur, cum liquidi tardius pigriusque moti, ad quietem reducendi, metu.

Quo usque debita est proportio inter diametrum canalis transmittentis et eum liquidi transmittendi, congruè impulsi, sanguis, reliquique humores expediuntur ac liberè fluunt per omnia et singula corporis vasa : simul ac vero canalis angustatur, aut contenti liquidi volumen augetur, eo ipso transitus impeditur, nascitur obstructio : cujus essentia in excessu diametri corporis transmittendi, supra

eum transmittentis, consistit : verùm dum jam transitus impeditus est; liquida à tergo advenientia, ni anostomoses opem ferant, ante obicem retinentur, in eum arrietant, sensim sine sensu in motu franguntur, tandem hic, et deinde ad vasa remota, stagnant et ad quietem reducuntur, unde nullus mireris, qui incurvato valde corpore, sub ardentis Syrii radiis, laborant, hortulanos ad hoc malum prædisponi : dum curbaturæ ratione, inflexa vasa, ad flexionum angulos, necessariò angustantur et, ratione motûs muscularis in aëre calido, liquidiora de massa sanguinea dissipantur, reliqua inspissantur : unde his viscera indurantur, ut ligneam aliquando mentiantur duritiem.

Æquè mirari desinas morbi hujus periculum tam facilè, tam frequenter incurrere sedentarios litteratos, quibus ordinariè mali moris est litteris et chartis impalescere, trunco cum femoribus angulum constituente, plus minus acutum, quare his, inter alia, viscera abdominalia, facilè infarciuntur, eo cum effectu, ut ipsis tumentes doleant hæmorrhoïdes, eorum querelarum objectum continuum, indiciumque nec obscurum, nec æquivocum sanguinis per sistema veræ portarum circuitum hinc inde ut jam dixi strangulari, quod malum eo celeriori passu incedit, quod hi, profundis immersi meditationibus, respirationem, si non aliquando per momenta fere suspendant, saltem plurimùm negligant, unde præterpropter otiatur prælum abdominale, quod, ut statim videbimus,

ex sanguinem ventralem propulsantibus, promoventibusque causis præcipua est ac primaria.

Equidem quod nullus, ille etiam, qui è limine solùm medicinam salutavit, negaverit, est, quod sensi-irrita-biliores facilè, et certè quàm omnes reliqui facilius, sive ex causa physica sive morali, spasmis corripiantur, ad cardiam præsertim, quæ corporis regio ut affectionum moralium centrum considerari potest : verùm constrictiones hæ spasmodicæ, quin exin vasa coarctentur, locum habere non possunt et quin, ex his indesinenter recurrentibus, ita certo quodam sensu canales sine interruptione angustantibus, per quàm facilè viscerum abdominalium infarctus oriantur.

Quod fæcundas, repetitis vexatas partubus, matres, et inter has, eas præsertim, quibus post expulsum fætum, liberè fluctuantia sibi reliquuntur viscera, quæ sacco peritonæi includuntur, attinet; certum est, de quo nullus, physices imbutus principiis, vel minimum dubium moveat, sub fætûs, cum secundinis ex sinu materno discessu, in cavo abdominali, si non vacuum, quod in genere implicat, saltem, in loco relicto, spatium quoddam nasci, quod, quia minus resistit, universi corporis humores, in se allicit : unde inter alias partes superiores depauperantur, subsident, flaccescunt, pallentque, dum vasa interim, quæ per infimum ventrem distribuuntur, aliarum partium sanguinem furtivè haurientia, implentur, infarciuntur justo amplius, non sine futurorum, exinde oriundorum, tristium effectuum metu.

Effectus hos jam suo tempore, pro solita sibi sagacitate, non solum præviderat, perspicacissimus *Boerhaavius* : verùm et eodem tempore in eosdem præveniendos, efficacissimun remedium, *Bracherii* nempè ad parturientis, et jamjam futuræ puerperæ abdomen, applicationem consuluerat : verum enim vero sicuti applicatio hæc, secundùm rationem artisque regulas instituta, pulcherrimos producit effectus, votaque adimplet omnia, quæ nunc factam matrem, extra multorum, quandoque gravium malorum aleam collocat : ita perperam, negligenter aut tempore incongruo instituta, nihil prævenit, nihil arcet, nihilo medetur, tristibus sequelis portam relinquit apertam : quare dum requisitarum cautelarum fere ubique, ii qui parturientibus opem adferre solent, obliviscuntur; operæ pretium judicavi de his aliqua verba injicere, id quod, dum extemporaneum et hic extra locum est, in re tanti ponderis, spero fore ut mihi condonet lector benevolus.

Igitur obstetricanti, ut suboriundum ex partu in abdomine spatium præveniat, æquale ejus contentis conservet sustentaculum, incumbit, ut sibi semper et ubique, dum officio suo fungi debet, de *Bracherio* provisum sit : verùm cum diversis mulieribus diversa sit statura, atque volumen discriminans, necesse omnino est, ut plura, eaque, ut facilè patet, diversæ mensuræ, ad manus habeat : nisi malit, sibi ipsi quælibet gravida de proprio provideat suo, quod, ut debito modo scopum attingat,

sub ipso gestationis initio conficiendum est, eum in finem, ut post expulsionem fœtûs et secundinarum, abdomen ad pristinum volumen redigi possit, ni graviditatis tempore notabiliter fuerit insaginata, vel è contra emaciata.

Itaque dum jam partûs doloribus torqueri incipit parturiens, universo ventri adaptetur congruum *Bracherium*, ita ut respirationi obicem nullum ponat, tum ea proportione, qua ex descendente et discedente fœtu, detumescit abdomen, mediantibus fasciis, quæ orbiculos fibulâ instructos pertranseunt, stringatur, ita ut continuò vasis idem suppeditetur fulcrum, fulcimentumque, quod graviditatis tempore, expansus uterus et extra id tegumenta abdominis sufficiebant, ex applicatione dicta *Bracherii*, quod eo gestandum usque, donec vi contractili, *Hallero*, dicta mortua, parietes ventris membranacei pristinum recuperaverint robur, quod, ex expansione, ratione tumidi uteri, aliquatenus amiserant : hoc modo, tam simplici quàm ingenioso et efficaci plura, eaque gravissima mala preveniuntur.

Verum enimvero obstetricantes certarum, quas vidi, regionum; post in lucem editam prolem, et otiosè remotam placentam, vel puerperam sibi reliquunt tranquillam, de præsenti ejus vel futuro abdominis statu parum solliciti : vel ventri ejus admovent mantile aliquod, quod mediantibus spinis ferreis aut potius cupreis, figunt, id ita sibi in eodem statu, per aliquot dies relinquentes, donec sponte decidat, aut dein auferatur.

Quàm malè visa, quàm inconcinna, quàm insufficiens sit, hæc similisve agendi methodus, facilè unicuique patescit, consideranti medium, præveniendo malo destinatum, ante ejus existentiam, esse applicandum, et non jam nato malo admovendum, hoc quod in casu posito præcisè fit: etenim si puerperam vel temporis tantillum sorti suæ, postquam à fœtu et secundinis liberata est, reliqueris: jam inde undique in alliciens spatium, influxerunt humores: ex quo universi ventris vasa replentur, infarciuntur, dilatantur: nisi fortassis per canales uterinos, via manente patula, immodica lochia profluentia, timendos certos morbos præoccupent quidem: nihilominus tamen aliis iisque acutis valdè, ominosæ lypothymiæ, imo morti ipsi portam pandunt nisi liquidi vitalis profluvium interruperis.

Pone nunc abdomini, dum cuncta ejus et singula vasa, ea præsertim, quæ circumcirca uterum distribuuntur inundata sunt, uti in ratione qua partus promovetur, inundantur: pone nunc, aio, ventri ita constituto linteamen admoveri aut mantile: quid in congestionem jam factam effeceris, aut efficere valueris? Nihil. Quid in prævenienda incommoda contuleris? Adhuc nihil. Quid puerperæ profueris? Nihil plus, quàm, si jam variolis decumbentem, has præveniendi causa, vaccinare voluisses, utrimque *sero sapiens, ut phryges.*

Qui huc usque dicta attentè consideravit, atque cum aliis alia, sedulò comparavit, perspexerit fa-

cilè , seminia morbi nigri , de quibus jam egi , omnia et singula in hoc punctum commune concurrere, ut liquidi vitalis , per viscera abdominalia motum frangant , progressui ejusdem obstaculum ponant , ita congestioni , accumulationi , et tandem stasi in eorumdem vasis faveant.

Hic nunc, antequam ulteriùs progrediar , quam susceperam demonstrandam , et quam ut demonstratam supposui paulisper, identitatem alicujus qualitatis , seminiorum cuilibet et omnibus *in genere* inhærentis , demonstrare oportet.

Eumdem morbum , ab eadem causa proxima oriri , ita ut ab alia produci nequeat , ab omnibus bonæ notæ auctoribus scriptum est , et ab unoquoque in demonstratis habetur. *(Vide tractatum meum politico-medicum de dyssenteria.)* Verum , quod æqualiter scriptum non extat , est quod in omni morbo debeat ante causæ existentiam haberi aliquod punctum commune ; quod veluti focum consideres , in quem omnia , quæ ad morbum producendum concurrunt , colliment universa , seminia , atque potentiæ nocentes.

Demonstratur. Si , ut dixi morbus quilibet eamdem semper debeat habere causam proximam , et hæc nihil aliud sit , quam essentia , quæ æqualiter ubique eadem est , ut esse debet ; ope accedentis cujusdem , ex statu meræ possibilitatis evocata : ita suis vicibus essentia hæc debet , ut una semper et ubique , ex uno eodem pullulare , numquam et nusquam diverso à se ipso : pone enim essentiam

hanc nunc ab A, nunc à B aut C in actum duci aut vocari : pone adhuc, ut fere sequitur, hæc esse inter se diversa atque distincta : uno casu, posito illo proximo ab A, ex quo pullulat : ponitur quoque illa : posito : dein eo proximo à B à quo progignitur et deinde eo à C : utroque hocce casu, ex alterutrius positione, ponitur quoque dicta essentia : pone jam hæc tria proxima, ex A, B, C, derivata esse inter se diversa, consequens est quod ter posita sit futura ter à se ipsa diversa; quod implicat : unde fluit quod illud proximum ex diversis seminiis exsurgens, et unde essentia conflatur, debeat esse ubique idem cum se ipso.

Sic omnia seminia atque potentiæ nocentes v. g. *hæmorrhagiæ*, conveniunt, ut convenire debent, in hoc quod ponunt excessum vis eruptivæ sanguinis, supra vim contentricem vasorum, in qua essentia ejus degit; simul ac enim æquilibrium inter vim eruptivam et contentricem destructum est, ita ut prior prævaleat, non potest non erumpere, sanguis contentus : sic adhuc omnia et singula, quæ ad producendam *obstructionem* collimant, in hoc solum et unum punctum convergunt ut ponant diametrum corporis transmittendi majorem quam ille est canalis transmittentis. Sic in *dyssenteria*, in hoc, ut in intestinis irritatio, sicuti jam à longis, ultra 32, annis scripsi, determinata locum habeat et ita de reliquis.

Autem si hæc ita se habeant, id est si cujusvis morbi causæ prædisponentes atque excitantes, in

citantes, in unum debeant concurrere punctum, ex quo immediatè essentia fluit; plura sunt eaque non minimi ponderis, et quæ fere præcipua sunt, quæ in arte medica didici, quæ inde legitimè et cum fructu deducas.

In primis ex hisce, fere sponte, occurrit modus, quo in naturam morborum, cum spe non dubii successûs, indageris; eorumque naturam, et ita omnia et singula, quæ iis, ut ita dicam, à capite usque ad calcem insunt, valeas, summo ægrotantium emolumento, expiscari.

Sic dum alicujus morbi seminia atque potentias nocentes nota habes, examinando seorsim singulum, successivè dein unum cum alio, finaliter omnia inter se comparando, plura resecaveris, quæ uni et non alteri conveniant. Tandem in ea, quæ supersunt, indagando, si unum aliquod inveneris, quod cunctis et singulis convenit æqualiter, id quod semper, quantumvis aliquando difficillimè, reperibile esse debet; ne dubites quin ad manus habeas quod quærebas, quodque tua vota expleat. Ita tractatum de dyssenteria compositurus, prævie ex fere innumeris, cujusque ætatis et nationis scriptoribus, ultra sexaginta collegeram potentias nocentes, inter quas, et inter alias, reperiebantur; *acidum*, v. g. *alkalinum*, *insensibilis perspiratio suppressa*, *materies reumatica*, *podagrica*, ad intestina delata; *cruditates*; *acria varia*, *veneni*, *medicamenti*, *esculenti*, *potulentive* titulo assumpta, et infinita, alius genii, alia; hæc dum animo obvolvebam attento,

videbar mihi tacitè dicere atque concludere : ergo, non obstantibus auctoritatibus variis, natura dyssenteriæ non est acidæ prosapiæ cum eam æqualiter inducat, illi opposita acrimonia alkalina; neque ob similem vel potius eamdem rationem, est naturæ alkalescentis : neque amplius ab insensibili perspiratione suppressa, quæ, ut causa exclusiva, plurimorum animis altè infixa insidebat; qua hæc cum acido, alkalino humore, cum cruditatibus, qua talis, nihil commune habet. Neque in acri reumatico, podagrico sui generis, qua eâ ratione nihil ipsis competit cum præcedentibus; non plus, quam v. g. cum nuditate intestinorum, unde etiam dyssenteria profluit, et sic in cætera indagando, inveniebam tandem, in fine laboris, illud unum, singulis proprium, omnibus commune, quod in se vim irritantem includebat, cui congruo modo modificato, dyssenteriæ essentiam et reliqua ad eam pertinentia superstruxi.

Neque hic subsistit considerationis hujus utilitas, dum inter alia hoc inde consequitur summum in arte medica emolumentum; quod, dum jam alicujus morbi essentia innotuit, illud ad potentiarum ejus nocentium classem nec reduci, nec pertinere possit, quod cum aliis in illud unum punctum ultimum aut proximum non confluit, aut quod illud omnibus commune in se non includit : unde et quo mediante, falsa plura dispellas, dubia corrigas; errores non paucos ex rerum medicarum catalogo expungas; plus unam pseudo-doctrinam

subvertas atque imperfecta perficere atque absolvere valeas.

Sic si extra omnem dubitationis aleam positum est, febrim consistere in pulsûs, naturali majori frequentia; hanc frequentiam sine frequentiore contractione cordis et vasorum locum habere non posse, et hanc ipsam contractionem frequentiorem sine frequentiore irritatione esse impossibilem : hoc inde consequens est legitimum : febris essentiam in hac frequentiore irritatione residere; quo dato, non difficulter inde deduco, omne id, quod irritare impos est, febrim producere non posse in æternum; neque inter potentias ejus nocentes esse computandum : quare mecum nemo nullus facilè concipiet, mucum, qua talem, vi benifica blandiente præditum et ad partes contra irritationem, ex provido creatoris instituto, præmuniendas destinatum, febrim per se producere non posse, dum potius ea sua indole, ut remedium antifebrile considerari debet; ut de facto est in leucophlegmaticis, glutinoso spontaneo laborantibus, qui pulsu et lentiore gaudent et tardiore et una, ut cuique notum est, rarius febri corripiuntur.

At ecce sentio hic universam nosographorum modernorum catervam, professoris *Pinel* asseclam, me validè impetentem, qui novam doctrinam impugnare non pertimescam : tamen quis nesciat quantis lenociniis veritas, sui amantium animos devinciat et quam difficulter se ab iis divelli patiantur, qui ejus deliciis degustandis assuevêre.

Antequam, rem hanc profundius examinaturùs, ulterius progrediar, convenit omnino audiamus sectæ coriphæum, novæ febris fautorem.

Præ cæteris aliquatenus mirari subit, auctorem hunc celebrem, eum zelum, quo ex causæ morbi proximæ cognitione omnia explicare intendimus, *maniam* vocare. *Loin de nous*, dit-il, *cette manie de vouloir tout expliquer par la connaissance de la cause prochaine!* Mira mehercle maniæ species! quæ, uti febris mucosa, non facilè inveniatur, nisi in scriptoris imaginatione : quid, rem evolutam quoad omnes suî partes, cognoscere in se, ut nos causæ proximæ cognitio docet, delirium est, maniam redolet, atque eam prorsus ignorare sapientia est?

Hoc, quantum valere potest, valeat paradoxon, quod ipsummet non nisi delirium est. Mea equidem opinione, is solus, qui ex cognitione causæ proximæ agit, veri nomen medici mereri videtur : dum medicina purè observatoria, id est talis, quam ex sola observationum accumulatione confeceris, cahos potius est confusum, specimenque vagum atque obscurum; quam scientia apprimè ordinata : videor mihi medicinam hanc, quæ sine essentiæ et causæ proximæ notione agit, certo quodam sensu, cum navi sine pyxide nautica, clavo destituta, vasto commissa oceano, comparare posse, quo incerto fluctuum atque ventorum commissa impulsui, in alienas faciliùs plagas, quàm in datum portum perveniat, ni temporis interea in Charybdim im-

pegerit, passaque fuerit naufragium. Et certè talis medicinæ ope, qui nulli certæ indicationi insistere, eique adimplendæ nulla adaptata remedia applicare novit, ægrum ex morbo in morbos projiceret potiùs, quàm ad sanitatem perduceret, ni salutaribus suis molimínibus, natura de morbo triumpharit simul et medicastro.

Sensi, sentioque aliquando, at cum mærore sentio, me, dum morbum, cujus me essentia fugit, tractandum habeo, quò me vertam nescire; quid suscipiam ignòrare; quale, primo inutiliter tentato, medicamini, et ita subsequentibus substituam, me latere; et sic, unum tentando post aliud, late divagari, ubique titubare, nihil ægro adferre quod prosit, et unde mihi congratulari valeam. Sic v. g. in affectione illa vesicæ, ubi, cum summa difficultate, copiosa muci tenacis fætidique, in urina subsidentis, matulæque tenaciter adhærentis, quantitas excernitur, ei similis quæ in calculosis evacuatur, absque eo quod calculus ei visceri immoretur; numquam aliquid bonæ frugis efficere valui, ex eo quod absolutè non sciam unde et ob quam causam tale se-et ex-cretionis vitium locum habet. Ubi è contra ægris cum delectamenti cujusdam non exigui specie, prosum etiam in illis morbis, contra quos, usitata in hanc usque diem, methodus parum, vel nihil efficacis attulerat atque proficui; dummodo causa eorum proxima mihi perspecta habebatur : ita exempli causa in podagra, cujus mordacibus torminibus ægri, quantumvis dilaniati,

miserrimæ suæ sorti relinquuntur, dum, ex præconcepta opinione, præter sanguisugas nihil, nisi, effectu et materie levia, linteamina sicca et calida admoventur : ego vero, dum morbum hunc nihil esse aliud, quam arthritidem pollicis pedum, ab aliis arthritibus, alios occupantibus articulos, nihil diversi habentem, qua illam determinatam partem, potius, quam quamcumque aliam, occupat; et ita ab acri nullius particularis indolis, eodem similive, quod alias partes invadit; istius articuli nervos vellicante ortam; nihil vereor, nihil hæsito, nihil pertimesco, quantumvis id plurimis exosum et vix non omnibus, anathema habeatur, partem laborantem immergere balneo tepido, ex herbis emollientibus foliis malvæ verbasci, altheæ confecto, aut ex his, una cum mica panis albi, lacte et aqua fontis, ad partes æquales, composito cataplasmate obvolvere, quod faciendo sævissimos dolores, incantamenti adinstar dispello, ægrosque ad placidum sanitatis portum tempore perbrevi perduco, multò securiùs atque certiùs : ita tractati, ita curati, ex amicis meis plurimi, ad miraculum clamant, herbasque illas, quibus tamen præter virtutem emollientem nihil attribuendum est, in cælum usque extollunt.

Adhuc exempli causa in puris sputo, difficillimæ curationis, et vix non desperato morbo, summas sæpe inducias impetro, integram curationem obtineo, non raro; litteraliter insistendo, quæ ex essentia morbi nota fluit, indicationi; ulcus videlicet

vel ulcera consolidandi, cuique modo triplici satisfit 1° puri naturam balsamicam conciliando; 2° pus factum eliminando, et 3° quietem parti conciliando. Sub qua triplici conditione omnis solutio continui, ni per accidens obstaculum, limbi v. g. callosi, accesserint, consolidatur.

Primæ indicationis parti satisfaciunt aut saltem pensum suum conferunt ea, quæ vires vitales debitè componunt, languentes, sine stimulo erigunt; exorbitantes cum prudentia frænant; quæ acrimoniam, si quæ adest, sæpe autem adest, diluunt, involvunt, corrigunt, dum antitodon notum est; evacuant, mediantibus v. g. epispasticis, solummodo serosis (1) ea dein quæ sagaci regimine, ex cremoraceis eupeptis, blandis alimentis, chylum benificum suppeditant, etc.

Secundæ prosunt quæ expectorationem, pro variis circumstantiis varia, facilitant : verum raro hæc ad sanitatem perducunt, nisi una omnes medici cogitationes, curæ, contentiones eò tendant, ut, quod tertia indicationis pars exigit, quæ fieri potest maxima, pulmonibus quies concilietur, quod nusquam obtinebis, nisi non solum tussim compes-

---

(1) Dum ex sanguine acrimonia extrahenda est, id optime penficitur, extrahendo serum, cui inhabitat, unde hoc mediantibus vesicatoriis sine suppuratione, provocare et eliminare multo satius, quam suppurationem incitare et intertinere; dum pus hoc confectum non è sanguine sed à parte irritata venit : cujus indicationis parum interest.

cueris, sed et perfectam à loquela abstinentiam impetraveris, qua sola cautela ex orci faucibus eripueris, quos mors indubitata tulisset è medio : equidem sic me ipsum eripui, dum cautelam hanc pro mea persona, omnium primus, operæ mandavi : quando à 12 præterpropter annis, à cursu, hiemali tempore, ob negotiorum urgentiam, ruri, instituto in acclive, peripneumonia fui correptus, infeliciter in suppurationem terminata, dum jam cum notabili puogenia, cumque macie, dietim increscebat febris hectica, conclamatum me judicabam atque dolebam; non id circo tamen toto cadebam animo: totas dies noctesque cogitabam, quo fatali reti me extricarem : donec tandem in mentem venit; ad consolidationem necessariam, quietem integram, in casu locum habere non posse, quousque tussi conquaterentur pulmones atque concuterentur loquela : inhibebam ergo quantum poteram tussim, meaque conamina, faciendo, eo fere perfecerant ut eam à quoddammodo ad voluntatis nutum regerem, et vix non alias erumperet, quam ut expectoratio fieret : ulterius atramentum cum calamis et charta adferri jubebam; ne vel syllabam pronuntiabam amplius, per quindecim dies consecutivos perfectè mutus : et ecce meo, meorumque summo gaudio, silentium profundum, pededentim insequebatur sputorum imminuta quantitas, remittebat sensim febris, macies non progrediebatur ultra, et brevi satis tempore pristinam ac athleticam recuperavi sanitatem, quâ abhinc lætus fruor.

Hisce intermissis, dum jam zelum omnia ex causæ proximæ cognitione explicandi, maniam vocaverat cel. *Pinelius* alibi, tom. 1, pag. 88; quod mireris, subjungit sequentia. Necessarium est ope analyseos, ante inquirere in essentiam febrium quam ad earum complicationes descendere.

Esto; id quod optimè visum est, esse necessarium in essentiam febrium inquirere : tum sanè erit æquè necessarium in eam cæterorum morborum inquirere : dum ab iis liberari æquè ac à febribus, hominum æqualiter interest : nunc si in morborum essentiam inquirere necesse est; quid ni ea ipsa ratione in causam eorum proximam, quæ à se non nisi aliquo accessorio distant, pene contigua, et in se spectata vix non eadem, necessarium sit inquirere ? consequenter, vel vehementer fallor, vel hæc penitus inexplicabilia sunt.

Tandem adhuc mihi difficillimum visum est sine contradictione sequens explanare . . . . . *febris plurimum increverat, licet pulsus tardus fuerit ac lentus.*

Si febris essentia, de quo à *Boerhaavii* tempore nemo ullus vel minimum dubium movit, in pulsûs naturali majori frequentia consistit : evidens est, quo hic frequentior est, illam eo esse majorem et vice versa : unde hoc inde apparet sequi absurdum *febrim, quo decrevit magis, eo fuisse majorem, aut pulsum eo fuisse frequentiorem quo fuerit lentus magis ac tardus.*

Hisce et similibus, pro eorum valore, à tergo

relictis, aures, oculos præbeamus et mentem iis, quæ de *febri mucosa* cel. author in lucem commisit.

« Causæ febris mucosæ prædisponentes atque « excitantes sunt quæ sequuntur.

« Status debilitatis, evacuationes enormes, vi- « giliæ, studia, labores immoderati, alimenta et « potulenta malæ indolis, habitatio in loco de- « presso, humido : aer impurus.

« Symptomata sunt lassitudo spontanea, sitis « pauca, nauseæ vomituriones, vomitus ipsi, mate- « riei fatuæ, insipidæ, lingua muco albido tecta, « exacerbationes nocturnæ, pulsus frequens, de- « bilis; status soporosus; urina limpida.

« Stabilit deinde morbum hunc sive solum sive « aliis, febri v. g. biliosa, inflammatoria, etc. com- « plicatum, satis frequentem esse : eumque sub « varia forma febris continuæ remittentis, inter- « mittentis sese exhibere. »

Contendit tandem totam suam doctrinam observatis confirmari atque cadaverum sectionibus.

Observatis. « Transiliendo, ut dicit, immen- « sum sæculorum intervallum, febris hujus exem- « plum invenitur in epidemia gottingensi, in ea « quæ Neapoli regnavit, à *Sarconio* descripta et « in morbo *cleonactæ.* »

Si quis causas prægressas, potentias nocentes, epidemiæ gottingensis, quæ hic alligantur, ut exclusivè aut saltem præ cæteris ad febrim mucosam pertinentes, attenta mente pervolvat, inveniet

facilè ex his innumeros, diversi genii, pro diversa idyosincrasia, et pro diverso diversarum circumstantiarum concursu, morbos exsurgere posse : quare argumentum, ab his pro febri mucosa exclusivè depromptum, non videtur multum ponderare.

Uti neque amplius allegata symptomata ponderant, quæ dubito valdè, an talia sola, sine aliis, quæ aliud decelent, inveniantur, dum motus febrilis adest : et quidem dum inveniuntur, irrefragabiliter, multum abest, non evincunt *qualitate aut quantitate ita peccare in sanguine mucum*, ut febrim *incendat*.

Quod probam ex, sic dictis, observatis mutuatam pertinet, diceremus fere eam ejus esse genii, quod idem per idem probat : etenim dum nihil evincit epidemias gottingensem atque neapolitanam, non plus, quam morbum cleonactæ, ex vitio muci fuisse orta, id merum suppositum præteritum est, per quod aliud, præsens, probari tentatur.

Objiciet hic aliquis, pro febri mucosa hic indubiè militare materiam mucosam, cum aliis ventriculo contentis, vomitu per os ejectam, similemve per anum eliminatam.

Verum si hoc febris mucosæ existentiam probat, ubinam et quo tempore illa non existet? dum ubicumque, ubi vomitus locum habet, similis plus minus reperitur; quidem in homine sano, qui prophylaxis causa, vomitorium deglutivit : deinde eva-

cuatio. Hæc, uti lingua alba, muco obsessa, si macum aut glutinosum in canali alimentario abundare denotare possunt, eo sanè limitatur eorum indicium, neque aliud ultrà probant : quare, si cum his, similibusve symptomatibus febris reperitur, vehementer suspiceris hanc, ex alio fonte scaturientem, hic solummodo accedaneam esse aut concomitantem.

Equidem, hic regeret zelosus quis doctrinæ *pinelianæ* patronus, *dissectiones cadaverum rem dirimunt, nullamque dubio portam pandunt* (vide tom. 1, p. 94) folliculi enim mucosi, stomachi et intestinorum, inventi sunt valde evoluti, una cum *hepate granulationibus pleno ;* deinde oculis sese obtulerunt escaræ gangrænosæ; iis similes, quæ in dyssenteria mortuis, reperiuntur, et uti in his, præcipuè in intestinis crassis : accedit deinde color subcæruleus tubi cibarii, quem indubiè produxerat affectio membranæ mucosæ.

Quis quæso hic, inter totius terrarum orbis mortales, ille est, istius raræ perspicaciæ, ut autopsiam hanc, pro febris mucosæ prægressæ demonstratione accipiat? etenim quid hic muci quantitate peccantis probam injicit vel levissimam? quid ejusdem, qualitate vitiosi, ideam adstipulatur vel minimam? quid mucum in sanguinem transiisse injicit vel convictionis imaginem? anne id fortassis concludere dabitur ex sinibus mucosis tubi alimentarii evolutis? quasi vero, in potissima morborum, qui intestina irritando afficiunt, parte, evo-

luti non essent et dum non solum evoluti; at etiam turgidi sunt ut v. g. in dyssenteria, ea propter hanc mucosam appellabis? an quia in catharro narium, in blennorhagia, ii, respectivæ membranæ, muco pleni tumescunt, ægritudines has pituitosas vocitabis? unum video, quod cum certitudine ex dissectione hac deduci posse videtur, est, quod in tractu intestinali, dum vita superat, irritatio, eaque non levis extiterit, cujus escharæ, iis similes, quæ, in dyssenteria extinctis, conspiciuntur, signum exhibent de cujus certitudine vix dubitare possis : si ergo in casu dato solus canalis cibarius fuerit violente stimulatus, quid ni inde tota officina mucipara, multo magis, quam in statu sano, evoluta, turgida, pituitoso humore, ex irritatione copiosius secreto, ditissima reperiatur et tota superficies interna intestinorum colorem, si ita velis, cæruleum exhibeat? quare hic mihi non levis nascitur suspicio, in casu posito effectum pro causa fuisse assumptum. Quid hepar granulationibus plenum, ad probam febris mucosæ conferat, aliis judicandum relinquo.

Si quis usque dicta serio recolligat, concludet non difficulter in causis prædisponentibus, excitantibus, symptomatibus non majorem febris mucosæ probam inventum iri quam in cadaverum autopsiis : unde sponte sequitur totum illius febris ædificium, quam maximè fragili, inniti fundamento.

Deinde, ut jam dixi, videtur mucus vi sua blandiente benifica obliniente, ut remedium anti-

febrile potius, quàm ut febris causa considerari posse atque debere.

Objicies : mucus ille potest ab indole sua degenerare, degeneratus, alienos, à suis, producere effectus, et eum ita, quod ut sanus non poterat posse facilè ut morbosus.

Detur mucum à primigeniis suis dotibus degenerari posse : verum quænam erit hæc similisve degeneratio? an erit ea qua magis dilutus, aquosus magis? quis autem inde oriundam febrem somniaverit? an qua inspissatus magis, ita obstruere, conglutinare capax? ita condensatus in cryptis suis hæret, sanguinis extraneus hospes, ita cor et vasa irritare ineptus, ad febrem nihil contribuere valet : nihil igitur superest quam ut, febrem producturus, qualitatem quampiam irritantem, acrem aquisiverit.

Mucum evectum exaltatum, ratione incitati circuli, qui liquidiora de corpore dissipat, aut etiam per longiorem moram, in glebas abire novi; eum vero, quantum scio, acrescere per se, acerrimi etiam ingenii viri nulli demonstraverunt.

Sicco pede hic nec transeundum nec dissimulandum est, in praxi dietim casus occurrere in quibus mucus evidenter acrimonia imbutus reperitur : sic v. g. in catharro, ex naribus destillans, non infrequenter labium superius tumefacit, linguæque saporem salsum imprimit, indicio non æquivoco eum salsedine ita acrimonia impregnatum esse.

Verum enim vero salsedo hæc, nisi quis acci-

dens cum proprio, alienum cum suo confundere mavult; ipsius non est : dum indubiè ipsi advenit ex insensibili perspiratione suppressa, quæ ad nares devoluta, membranam schnederianam irritat, secretionem muci et seri, salsedine infecti, auget; ex quibus intermixtis salsedo atque cum tumefactione erosio pendent.

Deinde supponatur mucum ita, acrimonia gravidum, in sanguinem resorberi, eo modo febrem producere posse : an id propter cum aliquo plausu hanc mucosam appellabis? an quia simili ratione saliva morbosa est, uti aliquando reperitur, eo usque ut buccas exulceret atque gingivas, febrem salivalem creabis? an quia humor lacrymalis, acrimonia, onustus, palpebrarum limbos, ipsos oculorum globos irritat, ut inflammet, febrem lacrymalem morborum catalogo inscribes? an dum omnes corporis humores acrimonia infecti sunt, tot febres simultaneas creabis, quot humores vitiosi sunt? ita hominem non infrequenter innumeris febribus simul et semel esse correptum? dum rerum gnaro nihil simplicius, nihil clarius, nihil evidentius est; febrim hanc à sua causa resumere, unam accusare acrimoniam; in cujus destructionem, unà quòt; frebrim destruxeris, indicationenem dirigere totam; quot, qui, qualesve sint qui de ea participaverunt humores.

Ultimatim dum mucus non est sanguini inquilinus, ast ope organorum secretoriorum è sinu ejus ejectus, nec cor, nec sistema vasculare irritare potis est, ita febrim producendi impos.

Inferes : ergo non datur febris biliosa.

Probatur conseq.

Mucus non producit febrim, secundùm allegata, qua è regno vasculari exul, id irritare nequit.

Atqui bilis, dum secreta est, degit pariter extra circulationis limites.

Tamen febrim biliosam existere nullus negaverit.

Ergo à pari.

Etsi multum abest, ut febris biliosæ realitatem imo frequentiam impugnem, etiam multus absum, ut cum aliquibus sæculi proximè elapsi scriptoribus pro vasto bilis imperio patrociner; et ita cum his, tussim, hæmopthisem, apoplexiam biliosam admittens in has profligandas vomitorium, aliaque similis farraginis, male visa, præscriberem.

Porro quod febrim biliosam in se spectatam, ut à bile absorbta dependentem attinet, hanc tam frequentem esse, quam vulgo putatum fuit, aut putatur nullus arbitror, dum ea, quam ita vocare solemus potius à materie saburrali originem ducit. Deinde, et quod proprie hic rei est, bilis negotium respectu ad febrim totum aliud est, quam illud muci : dum illa in cunctis animalibus amara plus minus acris, in certis quidem, caustici adinstar, acerrima reperitur, etiam in statu sano, magis aliquando in morboso, quo amplius evehi atque exaltari potest, et tamen propriè loquendo, si rem cominus inspexeris, febrem non producit, dum evidentissimè in sanguinem transiit, ut quotidie in ictero observamus quem raro febris comitatur.

Nunc à fortiori, mucus in nullo per universam naturam animali, acris per se invenitur : et esset, quivis eum, non solùm non fluidum, nequidem liquidum, ast liquido solidum corpus, indole sua tenax, glutinosum, filamentosum, in sanguinem transire : hoc equidem invisum aut saltem difficile mihi apparet. Et dum in sanguinem absorbtus non est, sane non incendet motum febrilem cum nulla causa agat in distans.

Instabis : equidem ex dictis sequitur non dari febrim lacteam.

Probabis assumptum : supposito bilem potiùs quàm mucum febrim incendere posse, quatenus acris per se aut à morbo est : saltem exceptio aut differentia illa invocari non potest quoad humorem lacteum, qui æquè ac mucus suavis, inodorus, omnis vis stimulantis expers est : existere tamen febrim lacteam non solum, quin imo frequens valde atque durum puerperarum flagellum esse etiam obstetricibus notum est.

Febrim lacteam morbum molestum, ominosum, et ni apprimè tractetur, pertinacissimum esse, doluere dolentque omnes cordati practici, eo meliore jure, quod ejus æthiologia plus unum pathologum sine successu torserit atque vexaverit, eamque tractandi adaptata methodus, hinc inde densæ adhuc involvatur caligini : nihilominus ne quis inter mucum et lac paritatem perfectam esse arbitretur, dum hoc licet, usque dum in omnibus suis partibus rite compositum existit, naturæ mitis sit

atque innocentis : tamen dum quacumque ratione decomponitur, naturam suam mutat, qualitatesque acquirit quàm maximè nocivas, quas acido, quod in se recondebat, jamjam evoluto, adscribas non sine ratione; dum inde immania in lactentibus tormina intestinorum, convulsiones horrendas, nimis sæpe oriri notum est, unà cum fædis cutis deturpationibus, quas aliquando totam corporis superficiem, diræ lepræ adinstar nauseabundo aspectu tegere vidi : dum jam ita decompositum lac tantas in variis partibus strages edit : nihil mireris inde febrim oriundam, quam ex acido esse facilè produnt atque evincunt sudores, qui opercula levantis nares, aceti violenti adinstar feriunt : rem hanc ita sese habere pulcherrimè, huic theoriæ superstructa, felix curandi methodus confirmat : lætè recordor me, à quo rem ita concepi, vix non omnes curæ meæ commissas puerperas, per medias sævasque aliquando procellas, in sanitatis portum perduxisse.

En quomodo, dum simul aliæ indicationes adimplendæ non concurrunt, me operi huic accingo.

Ante omnia injungo à potibus asiaticis, ab omni esculento, potulento, indolis acidæ aut acescentis, abstinentiam severam, regni vegetabilis oblivionem profundam, in animali confidentiam omnem : præscribo ergo diætam ex jusculo carnium recenti, ita die singula reficiendo, vitellos dein ovorum sorbilium, aut etiam crudorum, in aqua

flagellatorum, sub lactis pulli nomine, et pro uno fere soloque remedio consulo saponem suavem atque recentem sequenti modo

R. sapon. alb. suavis atque recentis drag. 2, syr. menth. unciam unam et semis inf. flor. samb. uncias sex.

Ut ægrotans inde assumat omni hora et semis cochlear unum.

Ita agendo morbum hunc, quantum meminiscor, feliciter semper debellavi, sive sub forma acuta sese sisterit, aut chronica : autem ægritudinem hanc aliquando acutam valde, aliquando cum magna pertinacia chronicam esse, cuilibet clinico notum est.

Allegare hic per transennam liceat quare hìc saponem potiùs quàm salia alkalina in usum vocem : etenim dum fæminas in genere, at præsertim puerperas et lactantes, justo sensibiliores noveram atque irritabiliores, pertimescebam, idque jure quodam, ne stimulus salinus, alkalinus, totus sui juris, acrius pungendo, stomachi, intestinorum, dein aliarum partium, nervos, cum inde secuturis nocivis turbis, offenderet : quare dum alkalino opus habebam, oleo id invaginatum, sub saponis forma porrexi, ut ita minus irritaret primas vias, faciliusque per villos lacteos sugeretur ac in massam humorum transiret, in qua, ex occurrente acido, cum quo, quàm cum oleo majorem affinitatem alit, decomponeretur, in suî annihilationem, ita in causæ morbi, morbique ip-

sius destructionem, oleo subinde relicto, involventis salutari functura officio.

Si hinc inde à determinato tramite declinaverim atque à proposito scopo obliquè aberraverim de *podagra*, *puris sputo*, *febri mucosa*, *febri lactea* etc. locutus : non id propter, sperare ausim, etiam severi judicii lector, mihi succenseat : dum quæ in praxi medica summè utilia inveni, in apertam lucem committere cordi habui, ac festinavi, ut sine ulteriori temporis jactura, ocyus desiderato emolumento ægri frui valeant; metu ne aliquando, ex continuo labente ætate, et ita ad inevitabilem mortem approximatione, mihi in posterum ea communicandi subriperetur occasio.

CAPUT TERTIUM.

De potentiis nocentibus morbi nigri.

Inter ea, quæ ante morbum natum, et nati decursûs tempore, nociva expertus sum; nihil eam producendo evolvendo tam efficax, intertinendo tam aptum, eumque aggravando tam funestum inveni quam aquoso tepidorum, sub potuum asiaticorum, thée, coffé, similis faraginis aliorum, decocti herbarum (*soupes vertes*) lactis, imo jusculi nomine, abusum : vero non solum hic horum abusus inculpandus venit : ut etiam in iis, qui visceribus laxis laborant et debilibus, vel minimus eorum usus tam nocivi sit influxus, ut

severam ab iis abstinentiam observare; vel minimæ sanitatis spei recuperandæ valedicere debeant in æternum ægrotantes. Velis tamen hîc, ut jam inde innui, eum excipere casum, qui, licet rarò, aliquando nihilominus contingit, in quo cum vel ex induratis visceribus morbus originem traxit.

Si aquoso-tepidorum ingurgitatio in hunc morbum producendum tantùm valet, qua partes corporis solidas relaxat, earum favet dilatationi, reactionem vasorum in liquida, contenta infringit, inde humorum congestioni ansam præbet facilem; non difficulter intelligitur, quæ eadem virtute malefica pollent, mucilaginosa, oleosa, et dein licet alio sensu, modoque alio, terram calcariam nempe absorbendo, acida, acescentia eidem malo portam pandere. (1)

Dum potuum asiaticorum similiumve in hac ægritudine tam fatalis est efficacia, nullus mireris, eorum, quæ de seminiis dixi, non immemor, sexum sequiorem, qui iis liberaliori genio indulget, simulque potus tonicos, spirituosos abstemiæ fugiunt, hocce morbo præ cæteris torqueri.

Si quæ universam solidorum, eorum præsertim quæ sacco peritonæi includuntur, relaxant, morbum nigrum inducunt; eumdem non minus, licet

---

(1) Huc usque semper ago de morbo nigro, qualis hactenus fuit consideratus, ut sistematis v. p. incola, dum ut statim videbimus, quascumque corporis partes, quæ vasa sanguinea nacta sunt, habitare aut occupare potest.

multò rariùs, provocant quæ ea indurant in hoc hominum laboriosorum genere, qui à summo manè in altam vesperam, sub solis ardentis radiis aut ante focum ardentem, ut vitriarii, fabri ferrarii etc. laborantes, liquidiora de massa sanguinea difflant, totum corpus exsiccant : in his macilentissimis atque ferè exsuccis viris, ventrem infimum, præ cæteris partem ipsius epigastricam, tam induratam inveni, ut vix non mentiretur ligneam; inque his, quantum mihi videre contigit, morbus hic, etiam optimorum remediorum usum pertinaciter respuit atque eludit : idque eo certius quòd quæcumque à similibus ingeruntur presso pede rejiciantur per eamdem viam, per quam fuerant ingesta, ita ut casus hic *fere semper* pro incurabili sit computandus.

Dixi *fere semper*, et quidem longissimo tempore hunc omnino incurabilem credideram, dum curæ meæ quondam commissorum ægrorum, ne vel uni lenimen adferre potueram, donec tandem à triennio (scribo mense 7bris 1816) sequens mihi sese casus obtulerit.

W. pagi vicini incola, agricola unà et hortolanus, dum suo sibi opificio morbum nigrum accessiverat, me à tribus præter propter annis convenit, pro suo annoso et indurato malo, cui plurima, at omnia æquè inutilia, opposuerat remedia, consilium petiturus.

En ipsius imaginem : incedebat trunco valde incurvato, ex consuetudine laboris ita inflexo :

erat ipsi corpus macilentissimum cum durissimo ventre : erat ipsi vultus fædè flavus cum aliquo ad malas rubore : erat cæteroquin facies ipsi sat bene composita, cum luce adhuc aliquatenus vivida oculorum, tum videlicet, dum à doloribus liber, placidè respirabat : rara autem erat hæc ipsi felicitas, cum frequentissimè acerrimis dilaniabatur ventris torminibus, quæ invito lacrymarum exprimebant profluvium, vitæque tædium inducebant insuperabile : tumebant ipsi unà, neque sine molestia, vasa hæmorrhoïdalia : per alvum ordinariè pigram de tempore in tempus secedebat materies aliqua nigra, cum subsequente, saltem pro aliquo tempusculo, cruciatuum levamine : querebatur, vix non continuò, de sensu ardoris retro cartilaginem xiphoïdeam, acsi, ut sese exprimebat ipsi cor comburetur *(of zyn hert afbrande)* vomitus eum vexabat indesinenter; quæque per eum eliminabantur, corrosionis sensum gutturi imprimebant, simul dentibus infigentia stuporem.

Casum similem aliquoties, tamen minimè frequentem, tractandum habui, infausto semper, ut dixi, successu; hunc nihilominus, rara felicitate, cum sanitate commutavi; in quem successum non parum contulêre, ægri imperturbabilis docilitas atque constantia, quod in rustica progenie pro semi miraculo computes.

Ecce quomodo rem aggressus sum : ab ipso initio, illi injungebam ab omni potu fermentato,

spirituoso sub spiritus frumenti, juniperi, vini adusti, ejusque analogi nomine, imo quidem à vino cujuscumque speciei; deinde suadebam ut ab omni labore, quem equidem, si non impossibilem, difficilem valde reddebat sanitatis ejus, ad quem redactus erat, status subversus, cessaret : insideret, staret, decumberet, spinâ dorsi, quantum possibile, erectâ.

Pro potu ipsi consulebam lac, sic dictum, pulli, et ut fastidium, ex fatuo et uniformi potu facilè oriundum, prævenirem, interpolabam cerevisiarum nostratum albarum, lovaniensis, hougardicæ, etc. recentium potiùs, quàm adultarum, usum.

Pro alimento suadebam decoctum carnium succulentarum, removendo serio partes tendinosas, animalium extremas, vel versus extremitates vergentes, quæ dum, aquâ incoctæ sunt, aspectu subdolo, frigefactæ, jusculum mentiuntur meracum, licet in se simile jusculum sit potius ichthyocollæ aut glutinis scrinariorum quædam species, visceribus indomabile, et in casu hoc, in quo universa abdominis viscera infarcta sunt, funestissimum.

Dum simili decocto, singulo die recenter præparato, cum oleribus succulentis incoctis, aut vitillis ovorum immistis utebatur; non aberam ut oleribus illis mollissimis vesceretur, unà et carnibus assatis teneris : abstinendo sæverè ab omni esculento pingui, sale, fumo vel vento indurato.

Pro medicamine præscribebam strenuum sapo-

nis albi recentis suavisque usum : dico suavis, dum aliquando, contra omnem expectationem, eum tam acrem inveni, ut sub transitu fauces ita irritaret, ut oriretur angina, quam eo modo productam tractandam habui : saponi jungebam vel interponebam extracta resolventia, præsertim graminis et taraxaci, quibus quandoque, tum præcipuè ubi ex defectu bilis naturalis laboriosa digestio, adjumentum exposcebat, addidi vel interposui fel taurinum inspissatum, quod summi prætii remedium, à *Boerhaavio* summopere laudatum, ab hinc universæ fere oblivioni datum est infeliciter.

Interea in finem indurata viscera resolvendi, dum semi-cupia et magis adhuc balnea ruri difficilis usûs sunt, abdomini applicari jubebam fomenta tepida ex infuso florum camomillæ romanæ; similia injici satagebam clysmata, atque ea tum præcipuè in auxilium vocabam, dum dolores ventris ægrum obsidebant, in quos, cum spe certioris effectûs leniendos, injungebam insuper ut simultaneè eorumdem saturatum infusum, saccharo albo edulcoratum per os hauriret.

Dum vomituriones, vomitus peculiarem sibi exposcebant medelam; recurrebam ad remedium *Hulmii* ita, ut solum salem absynthii deglutiendum suaderem, dum peccans in stomacho acidum, quod ita una abtundebatur succi citri vicibus fungebatur perquam facilè.

Dum hæc exactæ mandabantur executioni, primis pluribusque septimanis ne vel latum pollicem profectum erat, manebat æquè durum abdomen,

æquè frequens vomitus , non minùs frequentes diræ ventris dilaniationes : non id propter tamen, nec consilium mutabam, nec medendi methodum, antiqui et prætiosi præcepti non immemor « om- « nia, videlicet, secundùm rationem agenti, at « secundùm rationem non evenientibus, non statim « transeundum ad aliud, quàm quod fuerat vi- « sum ab initio » cum mihi pro certo stabat atque indubitato quòd, si indicationi ritè sumptæ adaptata remedia non proficiant, nihil ultra tentari posse quod non obsit : ægri animum, ne spe caderet, erigebam; ipsiusque menti inculcabam duriori malo, duriorem esse adaptandum cuneum : præbebat aures ac voluntatem consilio : strenuè insistebat monitis atque præscriptis, post, duorum mensium spatio, non interrupta conamina, elucens aliquale lenimen, dejecto animo calcar addebat, de novo nervos tendebat, spes, quæ, aliqualis affulgebat, alebat ægrotum, ipsumque ad strenuè omnibus insistendum incitabat : ita indesinenter oppugnatus, sensim sine sensu de furore atque pertinacia remittebat dirus, ac ad omnia rebellis morbus : donec per septem menses continuò perpessos labores, anxiè desideratus amissæ sanitatis reditus opus atque opifices felicissimus successus coronaverit. (1)

Dum ab hac causa morbus producitur, id ab

---

(1) Cum dolore inaudivi jam ab aliquo tempore ægrum aliquam passum fuisse recidivam.

aliis peculiare observavi, quòd, quo usque tectus latet, dolores violentissimi ægros torqueant, remittentes quidem tantisper, ab amissa et evacuata humoris morbifici quantitate; at presso pede redeuntes; semper et ubique hic, quam in aliis, ab aliis causis productis, casibus, magis acuti et lancinantes.

Diversitatis hujus hæc mihi semper visa fuit ratio : quòd, dum in laxis à stagnante et ita collecto sanguine vasa dilatantur, dilatatio hæc fiat sine magno molimine, et in flaccidis, abdomine contentis partibus, fere sine tensione sensibili, subsequente in febrillis nerveis, quæ in similibus etiam aliquando maximam patiuntur, uti in utero gravido, ascite, etc., sine dolore, expansionem : dum è contrà in fibra rigida et elastica laborantibus, vasa dura et fere sicca non sine tædioso labore distenduntur, unde nullus mireris exinde majorem, violentioremque subsequi tensionem, quæ parem semper concomitem habet dolorem.

Antequam ad causas ordinarias, ex quibus morbus niger scaturire assolet, progrediar, ex non assueta origine natum, casum rarum, qui mihi jam pridem occurrit, hic subjungere, lectori nec injucundum nec sine fructu futurum judicavi.

Filia quadragenaria major, pastoris ancilla, compagis solidorum licet laxæ, bona cæteroquin gaudens sanitate; fortè scalam adscendit, cum qua ex altitudine 6 pedum in humum prolabitur,

ventrem contra pavimentum allidens : ex lapsu hoc præter lenem ecchimosim in externis, nihil conspicitur, neque in internis functionem quampiam læsam, etiam severum examen detegit, nisi quod abhinc ipsi menses remanserint; et dein anxietate præcordiali torqueri inceperit cum pulsationibus ad cardiam, tam manifestis ut eas trans vestimenta nudus oculus detegeret facilè : affectiones has tandem insequebantur varia ventriculi pathemata; dolores cardialgici, nauseæ; vomituritiones, cruditates, pro diversitate assumptorum, naturæ diversæ, at præ cæteris acidæ : molestiis his sese jungebant hæmorrhoïdes cæcæ, et, quod ipsam maxime cruciabat, dolor gravativus capitis, manè maximus, minimus vesperi. (1)

Hujus morbi decursu evacuabat materiem nigram, aliquoties per anum, sine ullo mali moris symptomate pedissequo : dum menses manebant pertinaciter suppressi, prævideri facilè poterat, ex stagnatione, ad vasa uterina, uti et ad vicina, materiem similem, per muliebria aliquando prodire posse, si, bonâ fortunâ, evacuationem hanc

---

(1) Phænomeni hujus, quod in diagnosi, diversi genii, cephalalgiæ, non minimi est ponderis, hæc mihi semper visa est ratio : quod ob situm in lecto penè horizontalem, caput plus accipiens per arterias, minus reddens per venas correspondentes, necessariò sanguine onerari debeat : ubi de die ob situm verticalem, minus accipere, magis reddere cogatur, cum subsequente, ponderis in eodem diminutione.

reproducere, quod semper in medici potestate non est, valerem.

Ergo dum cum ægritudine sua jam per plures menses fuerat luctata, me advenit consultatura. Re funditus examinata, sequenti modo manum operi admovi : severam statim ab aquoso-tepidis, mucilaginosis, oleosis, lacticiniis abstinentiam imperabam; pro potu matutino consulebam lac pulli; pro diurno cerevisiam flavam, aut ejus defectu, brunam, ritè luppulatam.

Pro esculentis ipsam accingebam oleribus mollissimis succulentis, carnibus teneris assis, non elixis, quæ non nisi corpus mortuum sunt, cujus animam jusculum habet, nullo acido, ita nec aceto, nec cremore tartari, aut succo citri conditis; insuper ovis sorbilibus uteretur : ex alimentorum catalogo sincerè expungendo quæque cruda oluscula, fructus horæos, acida quæque et acescentia, farinosa fermentatione non subacta, quidem panem non ritè excoctum, cui et alii, in similibus, biscoctus palmam præripit : demonstrabam deinde summam necessitatem, perfectè masticandi, omnia et singula quæ assumeret, quantumvis eupepta et sponte quasi sua, in indolem humorum nostrorum transeuntia, eum in finem, ut cruditates, quæ in stomacho laxo, et inerti, cum defectu aut vappiditate succorum inquilinorum, oriuntur perquam facile; et ita dolores cardialgicos, colicos, etc. præveniret.

Caput molestum, gravatum ex acquisita cere-

bri flacciditate, majori ad inferiora resistentia, solitisque suppressis evacuationibus, nimia sanguinis quantitate onustum, hinc prudentem moderatamque hirudinum, ad tempora, applicationem exigebat, præcipuè dum plenitudinis excessus urgebat : illinc brodiorum, quibus plures fæminæ cranium obtegere solent, et quæ, dum capite laborant imprudenter augent potius, ablationem postulabat, quidem crinium abrasionem, capitisque lotiones frigidas, una cum lecti fuga, serotino in eum ingressu, matutino egressu, inque eo situ, quam fieri potest, ad verticalem accedente : hæc omnia eum in finem ut sanguine caput minus oneraretur, liberatetur magis.

Sanguini per præcordia circulanti, tam notabile, ut in casu dato, positum obstaculum, non poterat ferre motum muscularem, absque eo, quod ab impetu, à tergo aucto, hinc liquido vitali in obicem arietante, infarctus, congestio, omnesque molestiæ augerentur : quare corporis quietem ipsi consulere in necessariis habebam.

Hisce præmissis, ad indicationem, infarctum solvendi, laxum roborandi, propiùs accedebam; in quem finem extracta resolventia, amaris nupta, exempli causa sequentem formulam, mihi valde familiarem utilemque, præscribebam R. extract rad. gram. cent. min. aa drag. duas. syr. menth. unc. 2 aq. ejusd. crisp. piperit. aa unc. tres ut inde omni trihorio duo cochlearia aut unciam

unam absumeret : vel ejus loco, quæ positæ indicationi pulcherrimè satisfaciunt, pilullas, quarum en formulam R. salis absynth. drag. 1. pulv. rad. gintian. drag. tres fell. taurin. inspiss. q. s. f. pilullæ grv. sumendas ter de die, singula vice sex.

Dum alvus silebat, aut quædam aderat expellenda suburra ; ad infusum camom. rom. cum manna vel ad rhæum confugiebam.

Hisce superaddebam, quæ, uti in sectione 2da videbimus, hìc longè primarium remedium constituunt, non frictiones supra jejunum ventrem, quales suo tempore laudabat *Hermanus Boerhaave* et post ipsum summè præconisabat ex præceptoris lectionibus *Gerardus van Swieten ;* Sed pressiones alternas abdominis, mediantibus manibus propriis, aut, si id ægram fatiget, mediantibus alienis, plus una vice, bis, ter de die institutis, et sensim sine sensu, manu robusta profundius adactis, eùm in finem, ut viscerum, sacco peritonæi contentorum, reactio augeatur, torpentia excitentur, inspissata resolvantur, stagnantia agantur in motum.

Dum jam hæc per sex vel septem septimanas adhibuerat, statum ejus in melius, pluri quidem ratione, vergere experiebamur; verùm magna semper supermanebat molestia, quam vincendi pauca affulgebat spes, donec et usque in periodum non rediret, jam diu suppressus mensium fluxus : hunc vero ut prolicerem, attentionem meam dirigebam ad *massam pilullarum benedictarum Fulleri,* quæ,

dum ex gummatibus constant ferulaceis, indicationi positæ omnino quadrant, et ad aperienda vasa uterina maximæ efficaciæ reperiuntur : incipiebat ergo, præcedentibus cæteroquin non interruptis, harum periculum facere, assumendo singulâ vesperâ quatuor, dum jam hæc per duas vel tres septimanas fuerant adhibita, desideratus, cum gaudio, sese offerebat effectus, qui jam per aliquos menses remanserat, latitans, in lucem, per muliebria, redibat sanguis. Verum qualis? an rutilus, uti ex natura sua assolet? an grumosus, qualis post extravasationem prodire solet? neuter sese oculis obtulit; ast niger: similem sanguinem, ut jam notavi, videram quidem aliquando ante actis temporibus; sed *oculos habebam, et non videbam* verum hacce vice color hic nec oculos, nec mentem fugit, quin contra distinxi facile morbum nigrum, ab eo, in hanc usque diem delineato, solum, diversum, quod per aliud collatorium materies ejus prodeat.

Quod hic animadvertendum venit, est, quod subsequente periodo, sanguis, non amplius niger, at licet in pauca quantitate, rubicundus, ut in statu sano assolebat, in lucem prodierit.

Dum jam reducis sanitatis indicia cominus elucebant non æquivoca, insano ducta consilio, nec sana, nec ægra, intra malleum et incudem hæsit, ab omni ulteriore remedio abstinens: dolendum hic, quod in genere dolemus, rusticæ prosapiæ ægros, eos præsertim, qui paulo longiùs ab urbe

distant, nec sat tempestivè medicum advenire, justoque citius ipsum deserere, ita ut hic apud illos morborum nec initium videat, nec finem : temporisque interea, nimis faciles præbere aures et vetulis et agyrtis : donec diversis agitati, conquassati motubus à sanitatis portu dispellantur, ut hæc, de qua quæstio, dispulsa dicitur, in aliorum morborum, qui perversam medelam catervatim insequuntur, charybdim aut mortis syllam incidant aut impingant.

Ad potentias ordinarias redux, inter illas una est, quæ morbum hunc non infrequenter inducit, melancolia nempe quædam particularis, tristitia pertinax ac diuturna, mæror aliquis mente conceptus, occultus, quem, vel potius cujus causam, etiam amicos et familiares celare crudeles circunstantiæ jubent, et quem dies subsequens, qui cæteroquin omnia terit, confirmat potius roboratqne, ita ut conamen nullum, nulla rationis vis, nullum principiorum vivendi modi imperium, eum vincere, nequidem infringere aut debilitare valeat.

Qui in infelici hoc statu versantur miseri, ingrata obsidentur sensatione, cujus ad cardiam sedes est, quam infausta fidelitate concomitantur affectiones, ad eam regionem spasmodicæ, quas in se ipso, dum omnes vitæ circumstantiæ semper non arrident, in se ipso quisque facilè, plus una vice expertus est.

Dum affectio hæc, ex non gravi causa orta,

levis est, facilè evanescit spasmus, cumque ipso recedente, recedunt aut potius præveniuntur exin suboriundæ turbæ : verùm dum pertinacis est originis, dum altis inhærens radicibus subsistit non interruptè : non possunt ex causa hac, licet purè immateriali, non oriri plurima, eaque gravissima mala, quæ ipsam mortem, quam similes non-infrequenter votis omnibus expetunt, ast

. . . . . Quæ optata recedit.

Pedissequa habent : nam in tali casu non potest ex subsistente aut pededentim redeunte constrictione, non in eadem proportione imminui, si non integrè eliditur, vasorum transmittentium diameter : unde necessariò retardari in motu, ulterius propellendus sanguis, retineri ac tandem stagnare debet, equidem pro eâ sui parte, quam infra obstaculum anastomosium auxilium aliunde non abrupit, derivavit : anastomoses autem ex sapientissimo creatoris instituto, obstructo canali non levem subtrahere sarcinam directa, in animalibus confecta experimenta, ad oculum demonstrant : quare ingeniosissimæ hujus fabricæ salutaris influxus adjutorio est, ne cum velocitate in finem fatalem morbus ruat : verùm ex subsistente causa pertinaci, sine longa mora, sine magno interlabente intervallo vix non continuò redeuntes constrictiones spasmodicæ, post alia, alia, quæ adhuc opem ferebant, obstruunt : ita ut cum dierum numero crescente;

decrescat vasorum liberorum copia, quare in initio lento valde, in decursu incitato magis, versùs finem velocissimo, passu ad tumulum incedat morbus.

Huic causæ per se nimis infeliciter efficaci, accedit, quod qui inexpugnabili hoc dies noctesque torquentur animi insultu, meseri, omnium pertæsi, aliorum, etiam familiarium atque intimorum, consortia, præsentiam, imò aspectum fugiant, sese in angulo quodam remoto ac abscondito recondant; objecto mæroris sese profundè immergant, illud undique examinent, in omnem sensum partemque revolvant, quo insidiis sese extricent, dum interea, summo eorum infortunio, indesinenter experiuntur, quod ad quemvis passum in offensionis lapidem impingant, et quo se cumque vertunt, nodo sese implicent insolubili : quare quò evadant inscii, fixis oculis, immotis partibus, statuæ adinstar sedent, respiratione animali utuntur fere sola; dum voluntariæ atque aliorum, etiam necessariorum fere obliviscuntur. Dum hæc de die apud infelices hos ita peraguntur, res multò pejus adhuc sese habet de nocte, cujus tristissimam imaginem, vix calamus est qui describat aut adumbret : de die enim variis sensuum impulsionibus, variæ naturæ negotiis, reluctantes quantumvis, aliquatenus tamen, distrahuntur, quo interrupta, ita enervata, causa minus agit : de nocte verò, dormiente fere natura universa, sub silentio omnium profundo, nullum sensus

organum impellitur, nullo negotio occupantur, nulla re qualicumque distrahuntur; anima eorum propriis at simul nimium debilibus relicta viribus, omnium, simul concurrentium, et quarum impetum nihil frænet, tristium idearum cumulo obruitur catervatim. Ita obruti quid juvat implorent rationis auxilium? dum hæc repetitis fracta insultibus, debilior est, quàm ut opem ferat; ita pleno suo furore ante mentem continuo sistitur mæroris objectum, ejusve causa : ante eam sine interruptione versantur, quæ adsunt, infortunia : et quod fere pessimum est, timendi futuri eventus funesti, qui fortè numquam locum habebunt, in longinquo, atro depinguntur colore, et quorum realitatem, si quandoque existere debeat, multo deteriorem offert infelix ac morbosa imaginatio : sic noctes insomnes ac mæstissimas agunt transiguntque : unde de die, non refocillati, quales ex placido somno esse oportuisset, languent è contra fatigati atque exacerbati, ex quo languore aucto major melancolia, novum morbi pabulum atque incrementum.

Nunc vero dum in tali rerum statu, cum subnascente aut jam nato obstaculo, vires ita projiciuntur, ut resistentiam, continuo auctam motus fractus non superet. Dum prælum abdominale, quod omnium efficacissimè sanguinem per sistema venæ portarum promovet, vix non integrè suspenditur. Dum ipsa ad portas vena, cum universis ejus propaginibus, valvulis

caret (1) dum qui in infelici hoc rerum statu versantur, pro magna parte vitam sedentariam agunt; quid miri in his ex tot tantarumque causarum concursu, sanguinem, per universa abdominis viscera ad quietem atque stagnationem reduci tandem aliquando, atque simultaneè aut exin infinita alia mala oriri.

Mælàncoliæ huic quæ jacturam boni, libertatis, propinqui, amici, amasiæ, aliamve adversitatem pro causa habet, atque ideo realis est, affinis est alia, quæ ex diversa origine, ideali potius, speculo videlicet, oritur, et quam idcirco non incongruè *mælancoliam speculi*, de qua quantùm scio, nemo hactenus locutus est, appellaveris.

Qui infelici hoc animi insultu laborant, infausti, de figura corporis sui male contenti, displicentem sui ideam aliis inspirare apprehendunt, unde continuo agitati, non sine metu, aut malæ verecundiæ specie sese coram aliis sistunt, et dum soli sunt, et solos esse desiderant, suis luctati ideis, indesinenter speculum, angore quodam, præconcepto accedunt, ante id versantur non interrupte, in eo quærunt quæ non habent, invi-

---

(1) Etsi, inquit *Hallerus*, elem. phys. tom. 1, p. 209, in hujusmodi telologiis facilis esse non soleo, non tamen improbabile mihi videtur in venarum ad portas euntium infimis ramis varices et stagnationes esse, quod eæ venæ valvulis distituantur : hæmorrhoïdes vero ex iis cruoris congestionibus nasci notissimum est.

dioso torquentur desiderio possidendi ea, quæ alii nacti sunt, quæque ipsis semper fortunata atque grata magis, licet multum absit, ea sine exceptione talia sint; videntur

. . . . . Ac si
Fertilior seges alieno semper in agro
Esset . . . . . .

Dum nunc sese ante id, in omnem sensum examinant malesani, sua propria displicent; displicent hinc quædam corporis partes : displicet illinc aliarum proportio : aliunde aliarum repugnat conformatio : tum disconvenit certarum aspectus : aut offendit quarumdam color : tandem aliquarum apparet injucunda compositio : dum jam tales sibi ipsis visi sunt, in publicum apparere formidant, aliisque apparere videntur, quales sibi visi fuerant malè compositi, injucundi, fædi, turpesve, unde continua torquentur mæstitia, ea obsessi languent, quo se vertant nescii, tandem fallaci ac imprudenti adacti impulsu, ad speculum rursus redeunt, redeuntque, metu semper aliquo, ab ante præoccupati, ne in eo, iterum occurrant ingratæ imagini, quæ repetito ictu de novo affligat, novam decompositionem adducat, novam inspiret mælancoliam : ita dum malum à se, et per se crescit eundo : corporis figura, at præsertim facies, à formosa quidem, quæ aliquando fuerat, revera amplius ampliusque decomponitur, totaliter defiguratur, imo deturpatur : unde jure aliquo, successu temporis sibi ipsis aliisque displicent; quo mærore continuo

rodenteque obsidentur, qui inter alia caput turbat; facultatum animæ usum infringit ac enervat; præcordia stringit : circulum per plures partes, per encephalon, per viscera abdominalia turbat, invertit : congestiones provocat : stasim inducit innumera mala in lucem edit, inter alia, de qua agimus, melænam, idque eo certius, eo citius, quod similes, maleviso ducti concilio, ut conceptam, et ipsos dies noctesque molestantem, mæstitiam dispellant, ad spirituosa, sæpè recurrunt, cum pedissequo eorum abusu, qui reduplicato passu, omnia et singula pessumdat. Intelligis, ergo quæ, qualis, quantaque sit in hunc morbum procreandum mælancoliæ fæcunditas : simulque intelligis effectus hos eo futuros promptiores atque notabiliores, quo major est generis nervosi sensibilitas, musculosi irritabilitas, ex quibus solis, etiam sine aliqua mælancoliæ specie, ratione frequentium constrictionum, quæ inde propullulant, spasmodicarum, ipsa melæna profluere potest.

Situm corporis incurvatum, directè, per se obstructiones viscerum abdominalium progignere, ad eorum vasa, humorum congestionem et cum congestione stasim eorum producere à plurimis, ne dicam, ab omnibus, bonæ notæ, scriptoribus prolatum, atque in scientia pro primo vero acceptum est : id quod nulli absonum, nulli à ratione alienum videri potest, consideranti ex tali situ canales infimi ventris exin multum inflecti debere, et per hos inflexos, incurvatos ad

angulos obliquos, rectos, imo sæpè acutos, sanguinem debere difficilius moveri et ex tanta progressui humorum nata resistentia, debere tandem exsurgere eorum stasim ac morbum nigrum.

Si pro laborum præmio, melæna aliquando victimantur litterati; nihil in eo miri appareat : dum in tranquillis, motu privatis, sedentariis, una fere utentibus respiratione animali, sanguis minus propellitur; pigrius, et non sine aucta resistentia promovetur; ratione suspensi ferè præli abdominalis inefficacius per viscera abdominalia urgetur, ac ad stasim reducitur.

Si in unum aliquod punctum, omnibus et singulis commune, ex quo morbus pullulet, ejusdem seminia, ut in capite præcedenti vidimus, collimare debent : ita suis vicibus, ob rationes similes potentiæ nocentes, quæ eamdem ægritudinem producunt, in unum aliquem focum, ex quo hæc derivari valeat, conveniant necesse est : verum enimvero potentiæ hæ, de quibus hactenus egi, in quo conveniant unde morbus deducatur? An in bilem exaltandam conspirant? id nemini, nequidem per somnium, incidit. An in eandem copiosius secernendam collaborant? quis autem per canales, partim clausos, partim angustatos copiosiorem liquidi transitum, qui ad uberiorem secretionem requiritur, sine evidenti contradictione statuerit? an in bilem, corrumpendam ita, ut acerrima fiat concurrunt? quis vero ex fracto motu, ex languore circuli humores exaltari docuit? an ergo

in retinendam colligendamque bilem consentiunt omnes et singulæ? verum quid causæ cur parcius, imo parcissimè in provecto malo secreta bilis, colligeretur abundantissime ac accumularetur? si ergo neque in bilis copiam aut ejus vitium agunt: agunt eo evidentius, eo efficacius in sanguinis stagnationem, ejusque inde pedissequam corruptelam, quibus demonstrandis, jam sufficientia dixisse ratus, facile supersedeo.

CAPUT QUARTUM.

De symptomatibus.

Sicuti, ut jam scripsimus, seminia atque potentiæ nocentes, in unum aliquod punctum, idem semper cum se ipso, convergendo debeant convenire: ita ex hoc eodem, nunc posito, quasi divergendo, velutī ex centro radii, ex causa effectus, ex essentia attributa modique, pullulare debent omnia et singula symptomata, quæ morbum concomitantur.

Symptomata autem hæc jam alia sunt atque alia: alia sub morbo tecto: alia sub morbo aperto, dum jam fomes nidum relinquit, in quo stabulaverat: hæc ab omnibus, qui de hoc morbo scripserunt, delineata extant atque excusa: non itidem illa, de quibus ita præ cæteris et quia altera præcedunt, in primis agere mihi animus est.

Causarum remotarum prægressum insequuntur:

ponderis ad cardiam, anxietatis ad præcordia sensus. Ad regionem scrobiculi, sic dicti, cordis aut potius epigastricam, quo usque æger corpore quietus, animo tranquillus manet, pulsatio, quæ in statu sano existit nulla, surda, augenda statim, quidem eo, ut aliquando nudis oculis ultra et trans patientis vestimenta facile percipiatur, si circulus incitetur ab animi pathematibus, musculari motu, causisve aliis. Abdominis (1) dolores, pro rata circumstantiarum, varii : nunc magni, quandoque maximi, nunc mediocres, nunc parvi, semper aliqui : alvus tarda, difficilis, frequens et inanis desidendi conatus. Excrementa, dum sicca, quod hic ordinarium est, prodeunt, diametri exiqui, aut potius figuræ applanatæ, quasi fuissent hæc per rimam transpressa aut transtrusa : sub morbo provecto, fit color faciei, præsertim sub oculis fusco-lurido-flavus, hæc omnia concomitatur melancolia sive mæstitia, quæ non extiterat ante, aut illius, quæ extitit, augmentum.

Hæc est, quam adumbrare potui, et exactissima et fidelissima, morbi nigri tecti, multo, quam quidem vulgo putatur, frequentioris, imago, cujus delineatio quælibet aut symptoma, fili adinstar serviat illi, qui penetralia ejus subeat, naturamque ejus detecturus perscrutari cupiat.

In primis, quod sensum ponderis, quem ægri, ad, vel parum supra vel parum infra, circumcirca scrobiculum cordis aut cartilaginem xiphoï-

(1) Sub eo titulo etiam comprehendo, eos qui ad lumbos sentiuntur.

deam experiuntur, et quem jam aliquo tempore ante morbum natum, fuerant experti : quod sensum hunc, inquam, attinet, in demonstratis haberi potest, eum non aliunde oriundum quam ex corpore ibi gravitante, extraneo ac insolito istius partis hospitè : ea etenim est, ut fuit ab orbe condito, corporis humani conditio, ut partium suarum gravitatem, aliorumve corporum assuetorum pondus, etiam gravissimum; illud v. g. ex pressione admospheræ natum, non sentiat, quousque omnia et singula secundùm assuetas naturæ leges peraguntur : verum simulac aliquid insoliti, corporei, et ita gravis, hic alibive remoratur, ab eo statim sensum ponderis experitur, qui, mendax quandoque, ipsam ipsius gravitatem absolutam plurimum excedit : consequenter sensus hic ægris molestus denotat manifestè alicujus corporis non assueti præsentiam : verumenimvero quamnam hic, præter sanguinem congestum in majori quantitate, quam fieri assolet, accumulatum, substantiam hic accusabis? an tumorem fortassis quemdam partem hanc obsidentem, istius molestiæ reum accusabis? an ad heterogeneum quoddam saburrale, pituitosum, stabulans in stomacho recurres? an collectionem quampiam, serosam, purulentam, biliosam argues et in litem adduces? equidem horum aliquod adsit oportet.

Quoad casum primum tumor ille, qui uni alterive, istius viciniæ, parti pertinaciter insideret, detegeretur non difficulter, à non distracto aut non

ignaro examinatore : jam autem in potissimo horum casuum numero ne vel tumoris stigma sentitur : verum quidem est in hoc hominum genere, quos labor improbus, sudoribus diffluentes, induravit atque exsiccavit, ad universum abdomen, at præsertim partem ejus superiorem, duritiem sæpè summam, ut ligneam aut fere lapideam mentiatur, reperiri : verum casus hi non sunt, toto cælo distat, omnium frequentissimi : et deinde, quod hic reflectendum est, licet ex gravitante hac duritie sensus ponderis locum habere debeat; idcirco alia co-existens concurrensque causa hic excludenda non esset : jam autem, et quod rei summa est, tumor similis, ubi non existit, et certe non existit in laxis, ita in plurimis, qui hoc morbo corripiuntur, non potest sui ponderis sensum imprimere; quare à causa inconstanti, constantem, à particulari universalem effectum, non sine errore atque contradictione repetas.

Quod secundum casum spectat : in bona horum ægrorum parte nullum, cujuscumque saburræ latitantis, symptoma sese manifestat : quare gratis valde et ita perperam eam effectus accuses, qui sui non est : et si in aliis uno aliove decursûs morbi momento aliqua illius re ipsa existentis signa sese efferant : hac, vel solo ipsius naturæ molimine, vel artis auxilio dispulsa, si ab ea esset sensus ponderis, deberet hic cum ea evanescere : atqui ita evanescat multum distat, dum causæ suæ tenax, saburra dispulsa, uti dum nulla adfuit, pertina-

citer continuat, ab initio usque in finem, morbi fidelis comes. Consequenter frustra inde derivetur sensus ponderis, de quo quæstio.

Quod pertinet ad casum ultimum : si sensatio ingrata gravitatis penderet à collectione purulenta, serosa, debuissent profecto alterutrius causæ fuisse prægressæ; deberent sese, quæ, quælibet ægritudo propria habet, illarum, morbi tempore, manifestare symptomata, atque deberent, ut debuissent, dissectiones cadaverum collectiones tales demonstravisse constanter : quis autem hæc vel horum aliquid, stante vita, aut ea evanida, observavit.

Si tandem à bile collecta, quæ hic patronos nacta est plurimos, dictum symptomata repetendum esset, deberet in primis ad eum locum, ubi ejus sensus est, dum nulla causa agit in distans, collectio fieri.

Nunc vero quomodo et quando colligitur bilis? Bilis, ut alterius cujuscumque humoris, fit collectio, qua in majori copia adfertur, quam defertur; igitur dum in casu, de quo agitur, morbi nigri, nulla ratio est, quin contra; cur copiosius secerneretur, nihil superest quam ut accumuletur ex retentione : retentio vero hæc non obtinebit, nisi qua in circuitu suo aut potius itinere ad intestinum duodenum impeditur : nunc autem dum ita impeditur et consequenter accumulatur, ubinam est collectionis sedes ordinaria? ad vesiculam felleam, ductum cysticum, hepaticum, communemve: verum quantum, in hac hypothesi, collectionis sedes hæc à sede sensationis distet, hic dici

non debet : equidem potest etiam in minoribus ramulis, antequam in jam dictos magnos confluxerunt, ultra solitam quantitatem hærere bilis, et ita insoliti ponderis exhibere impressionem, sed ex hocce posito, sole clarius patet non ad cardiam, at ad hypocondrium dextrum haberi debere molestiam.

Regeret hic fortassis, justo nimium mordax, sententiæ biliosæ patronus, in parte sinistra hepatis, in lobulo, verbi causa, *spigelii* bilem congeri, ita ad cardiam ponderare posse : detur; verum in hoc casu, evidens est, dictum lobulum intumescere debere, qui tumor ita percipi deberet, uti facile, dum adest, percipitur, nunc vero, uti jam inde dictum est, tumoris, hic, licet quandoque adsit accidentaliter, raro quæstio est : deinde, quod plus est, dum sensus hic ponderis in hoc morbo constans est, quis constanter sinistram hepatis partem, præ omni alia hic infarciri, cum aliqua veri specie statuat.

Hocce symptoma non interruptè concomitatur ad eumdem locum pulsatio, sub quieto corpore, animoque tranquillo obscurior quidem, et minus sensibilis, verum ex animi turbis, aut machinæ motu, quam mox adaucta, manifestior imo aliquando manifestissima atque violentissima fit; quam sane non aliunde, nisi ex insolito, sanguini per eas partes propulso ac propellendo, nato, repetas obstaculo : etenim si quousque motu uniformi, et in omnibus suis partibus æquabili, liquidum per canales flexiles vehitur, nulla sit undulationis aut

alternæ dilatationis ratio ; erit ubique in toto eorum tractu, nullo non tempore, æqualis ejusdem quantitas, æqualis causa dilatans : verum enimvero, si motus cessat æquabilitas, si in diversis partibus sit inæqualis celeritas, ita ut in undam anteriorem, tardius motam, posterior inpingat cum velocitate majori : sequitur ut hæc, stante nempe eodem tempore, majori gaudeat motûs quantitate, et ita ex volumine respectivè et absolutè adaucto fiat dilatatio successiva et alterna, quæ pulsus vocatur : nunc si impulsus hic ex nullo alio fonte hauriri possit nisi vel qua unda anterior in motu fracta est : vel quia posterior in eodem est incitata. Si nunc in sistemate venæ portarum, quousque, in statu sano, liberum est, quantumvis sanguinis circulatio sit rapidior, nulla reperitur pulsatio : evidenter consequitur, dum in statu morboso locum habet; id non aliunde derivari posse, quam ex subnato obice ante, et circumcirca, quem non potest non congeri sanguis atque accumulari, cum successivo minori ejus motu, quem tandem stagnatio excipit.

Ex hoc posito facile intelligitur quare pulsatio hæc increscat ab incitato impetu à tergo et inde cur frequentia insurgat atque vehementia à pastu, *à spirituosorum* (1) aliorumve stimulan-

(1) Nec diffiteri, nec simulare possum, me, attente insequentem, quæ in similibus ægris accidunt, observassse sæpissimè, sensum ponderis multum alleviari : anxietatem præcor-

tium ingurgitatione; à certis, etiam diversæ speciei animi pathematibus, præsertim autem à corporis motu, nixu quocumque, etc. unde non difficile deducere est quam malè, famæ suæ, quam malè ægris suis consulant ignari illi atque incauti medici, qui similibus exercitium suadent, præsertim pedestre, campestremque laborem.

Si *dolor* in genere consideratus oritur.

1° Vel à nervi discissione aut divisione partiali, qua reliqua adhuc continua filamenta violentius trahuntur, eoque magis, quo pauciora supersunt; ita ut omnium maximus, omnium acutissimus, tum, uti vir famæ immortalis *Boerhaavius* laconico suo et masculo sermone dicere assolebat, exsurgat *dum nervus est rupturæ proximus.*

---

dialem notabiliter imminui; pulsationem ad cardiam intensitate sensibiliter frangi, à spirituosorum, qui ab excessu remotus manet, certo usu; cujus phænomeni, quod cum data theoria pugnare videtur posset fortasse cum aliquo plausu sequens suppeditari ratio: spirituosa dum in massam sanguineam transiverunt in moderata quantitate, quæ orgasmum non excitat, vasa stimulant, stimulando ad contractionem cieunt, dilatata, et ex dilatatione enervata, coarctant, ita circulum per eadem plus minus expediunt: unde facilè dictorum symptomatum sensus, pro tempore, suspensio: ubi è contra à circulo, alio modo, motu puta musculari, incitato, transitus per dicta vasa non solum non expeditur, quin plurimum molestatur atque retardatur: ex musculis enim agentibus vasa externa certo modo emulgentur, sanguis in majori quantitate ad interiora quasi premitur ac propellitur: ex quo propulsu ad locum obstructum non possunt, non debent non augeri ac increscere omnia, de quibus hic agitur.

2° Vel in nervi integrè discissi medullæ attactu, ita ut paulo rudior ægros convellat, atque sævus eos torqueat, quorum vulnera ex amputato v. g. uno aliove membro, scalpello aliove instrumento chirurgico tanguntur.

3° Vel in nervi, quantumvis in sua substantia integri, distractione violenta, qualem quondam, in barbarè usitatis, veritatem extorquendi causâ, torturis, adhibere moris erat, et unde, ut notum est, dirissima tormina excitabantur.

4° Vel à nervi irritatione ab acri : qualis in reumaticis, podagricis, aliisque affectionibus cognatis, locum habet, ægrisque tædiosos adfert cruciatus.

5° Vel tamdem à nervi vel nervorum vasis circumvolutorum tensione; quam hæc intumescentia, dilatata, protuberantia provocant, non sine diris exinde exsurgentibus torminibus, quæ eò sunt intensiora, quò distractio illa major, promptior est; aut in subjecto stricto magis ac sicco locum habet : quare tum sævissimus exsurgit, dum nervi ita subitò multùm tenduntur in subjectis densis et macilentis; dum ille fere nullus est, quando distractio illa lenta est, in laxis et mollibus, fuerit hæc quantumvis insignis, sicuti dietim in gravidis, asciticis observare est, uti jam inde notavimus.

Si, inquam, dolor in genere consideratus, his quinque modis, et nullo alio, equidem mihi noto, produci consuevit, consequens est eum, qui in hoc morbo locum habet, uno provocari aliove : jam

autem quis, cum fiducia ac spe tangendi verum ad unum ex quatuor primis confugiat ? Nemo enim sanæ rationis compos hìc nervi vel partialem vel integram divisionem incuset : neque amplius ejus in longitudinem tracti vellicationem (modus hic, ut verum fatear ejusdem ac quintus categoriæ est), cum quæ in longitudinem trahat, hìc nulla causa reperibilis est.

Quoad acrimoniam, quæ nervos rodat, hanc hìc, ut sæpe alibi locum habere posse nemo inficias tibi : verum dum adest, solummodo accidentaliter adest : quare perperam effectum constantem à causa contingente repetas : unde nihil superest quàm ut modum quintum amplectaris, tensionem nempe nervorum vasis circumvolutorum et una, quæ eam inducit, eorum intumescentiam, dilatationem, quæ tacitè infarctum vasorum ab humorum congestione incusat.

Objicies primo : bilem acrem evectam, exaltatam, violentissimos dolores, quales v. g. in dissenteria observantur, producere posse, à nemine negari, ne quidem in dubium vocari potest?

Atqui bilis à testibus idoneis tam acris reperta est ut fauces transeundo inflammasse, in lapides rejecta, eos erosisse visa fuerit.

Ergo, etc.

Respondetur : de hoc jam fere nimium dixi : sic uno verbo dixero hoc argumentum totum hypotheticum esse ; labique integrum ex lapsu hypothesium, quibus superstructum est: jam autem bilem

acrem intestina aliquando ita irritare ut dyssenteriam progignat prima hypothesis est, quam ad longum et latum refutatam vide in libro meo jam pridem edito et cui titulus est : *Traité de la dyssenterie en général, troisième édition.* Bilem similem lapides erosisse secunda est, quam in capite primo hujus tractatûs dejeci, uti et tertiam quæ inde inflammatas fauces in medium afferebat.

Objicies 2^do^ : equidem dum, ut ipse fateris, ex pluri titulo cruditates hic generari possunt, uti sæpe generantur non temnendæ; non tam exclusivè neque tam certè ad tensionem nervorum vasis circumvolutorum, ut doloris causam, est recurrendum, dum et illæ etiam sævissimos progignere aptæ sunt.

Respondetur. Ex ipsius morbi circumstantiis cruditates facile suboriri, exhinc non infrequenter dolores nasci posse, et sæpè nasci, nemo bonæ fidei negabit : verum etiam nemo sincerus et in re versatus, eos, qui ante cruditates natas, et post eas destructas, existunt atque persistunt uti dum non extiterunt ab iis absentibus, jure aliquo vindicet.

Alvum tardam, siccam, pigramque aliud, ex hujus morbi symptomatum satellitio quod spectat : novimus alvum talem fieri.

1° Ob imminutam sensi-irrita-bilitatem, id est torporem, intestinorum, quo ad solitum stimulum, surdiora, minus peristalticè oscillant. Hæc alvi segnitiei causa illustrissimo *Hallero* (1) visa est

(1) Element phys. t. 7, p. 189.

primaria : unde talis fuit inquit, *in fœmina de qua* van Swieten : *in histerica, cujus mentionem injecit,* pomme : *atque dietim talis observatur in phlegmaticis ; melancolicis ; semifatuis, quos in aquilegiensi gubernio,* cretins *vocare solent, in mentem non advertentibus ; ebriosis.*

A vehementi animi affectu, terrore (2).

A callosis intestinis ut vix purgantia percipiant.

2° Ex inertia aut defectu succorum inquilinorum, in intestina pluere aut stillare solitorum : unde silet in ictericis, etc. etc.

3° Ex corporis, massæve per intestina propellendæ majori resistentia : qualem suppeditaverunt.

Devorata absurda ut globuli, nummi aurei (3).

Impactus calculus (4) vel calculi, collectæ fæces (5).

Coagulum ex cibis natum offerciens (6) accumulata ossicula, plantarum, fructuum, cerasorum nuclei (7) mespillorum (8).

Glans plumbea, pyloro impacta (9).

Farcimen pituitosum ut apud *Aloysium de Gonzaga* (10).

---

(2) Consule *Haller.*

(3) *Loss, Journal de médecine,* 1756.

(4) *Philos. trans.* n° 281.

(5) *Nébil.*

(6) *Manget.*

(7) *Van Swieten, Wédel.*

(8) *Barrère.*

(9) *Fernel.*

(10) *Tissot.*

Pilæ calcariæ circa ossiculum congestæ (11).

Glomeres vermium (12).

4° Demum ex angustato, impedito canali cibario, per constrictionem, compressionem, obstipationem, concretionem, excressentias, etc.

Sic eam ortam vidit ex intestino perangusto. *Morgagnus.*

Ex colo intestino contracto, cum scirro comite. *Boerhaavius.*

Item ex carne vitiosa, subnata de cæco. *Idem.*

Ex ano clausa et versus vesicam aperta. *Hallerus.*

Ex callo intestinum comprimente. *Winkerus.*

Ex utero in gravida fæmina intestino insidente *Viedelinus* et quivis practicus.

Ex vesica nimis repleta. *Santorinus.*

Ex obstructis ita tumentibus intestini recti glandulis. *Swietenius.* Quod, frequens olim malum, viro celeberrimo Frederico *Walther*, funestum fuit.

Ex intestino ex dyssenteria coalito. *Rhoderius.*

Ex duodeni angustia (13).

Ex valvula coli clausa, et intestino ea sede solido (14).

Ex intestinis à spiritu vini arctatis, flexuque insolito coli. *Ludvigius.*

Igitur, quæ hic locum habet, alvi pigrities tar-

---

(11) Essai of a societi at Edimb.

(12) *Van Swieten.*

(13) *Plish, Amst. 1722 juillet.*

(14) *Essay of a foust at Edimb.*

ditasve ex dictarum quatuor causarum una pluribusve ordiatur necesse est, quare in eam vel in eas, quæ sint, superest, ut inquiramus.

Equidem corporis vel massæ, per tractum alimentarium, promovendi, majorem resistentiam hic nullus, qui à constanti, accidentale distinguere novit, accusabit : neque plus cum meliori successu ad eam explicandam ad compressionem, coalitionem, excrescentias aliaque vitia organica recurret. Nos itaque manet, ut mali originem in obstipatione, irritabilitatis decremento vel constrictionibus spasmodicis; succorum inquilinorum inertia, aut potius defectu, seorsim cumulatimve spectatis, quæramus diligentius.

Subjecta laxa, debilia, sexus sequioris præsertim, ad hunc morbum prædisponi vidimus: autem talis est eorum non infrequens conditio, ut inter illa, plurimis hoc mali genus familiare sit; testante *Alberto van Haller* (1) dum dicit. « Eas ipsas « fæminas audivi toties de alvi segnitie querulas, « colicis exinde doloribus vexatas, et subitis quasi « sanguinis excensionibus et doloribus, in excer- « nendis fæcibus, tantoque nixui, ut sanguis se- « queretur et vaginæ demum prolapsus, obnoxias « et tot aliis malis expositas ut vitæ tæderet. »

Verum enimvero cum in similibus bilis ordinariè vappida sit, atque plus minus defectuosa, id quod tardivæ digestionis labor tædiosus, facilisque

(1) Elementa physiol., t. 7, p. 188.

ac frequens cruditatis acidæ generatio, evincit non difficulter, sequitur cum priori causa et hanc concurrere, ut serius etiam, malè confecta, malè composita, inutilia ac novica futura, ciborum, non, ut oportebat, elaborata residua, ad anum perveniant : nisi, quod etiam fit, cruditates, quæ hic, ex utraque causa concomite, facilè generantur, et ita natæ, intestina, quantumvis ad stimulum naturalem surdiora, acrius vellicent et per accidens, intercurrentem provocent diarrhæam.

Dum subjecta sensi - irrita - biliora et quæ frequenter ac pertinaciter redeuntes spasmi, vexant præ cæteris hoc morbo corripiuntur, obscurum non manet, constrictiones similes in claudenda alvo partes suas ludere, certis in casibus.

Equidem, cum ex sexu amabili, eæ adhuc ad hunc morbum prædisponuntur, quibus menses tardius parciusque fluunt, integrè supprimuntur, aut tandem remanent : iisque ex hoc fonte aut collatorio obstructo sanguis ad uteri, circumvicina, hæmorrhoidalia vasa congeritur, evidens fit et hanc quartam causam cum præcedentibus ad alvi constipationem pensum suum conferre.

Excrementa dum non liquida, non pultacea, at sub consistentia argillacea, solida excernuntur, secum ferunt formam typi, per quem transpressa, transtrusa, prodeunt : consequenter dum diametro magno cylindriformiter, in lucem veniunt, intestina dilatata aut saltem facilè dilatabilia, in utroque casu minus resistentia, et ita relaxata denotant :

ni mavis vim extendentem increvisse; quod supponendum non est, nisi dum, non argillacea, sed, indurata, non nisi magna vi protruduntur, quæ, intestinis violentiam inferendo, ea præter naturaliter, extendunt, non secus ac fætus in lucem prodiens, osculum uteri atque vaginam dilatat, et vice versa dum gracilia, parvæ dimensionis per anum extruduntur, vias, per quas transeunt, saltem earum partem in infimam, angustatas esse, ad evidentiam evincunt: jam vero unde angustiam hanc repetas? An ab induratis rigefactis, ita justo nimium resistentibus intestinis? Talem autem rigiditatem in subjectis laxis atque debilibus, quæ horum ægrorum potissimam partem constituunt, nemo rationis compos jure aliquo statuerit. An à constrictione? constrictiones spasmodicas scybala, de quibus hic quæstio non est, conficere, notissimum hystericarum exemplum demonstrat. An à compressione? si causam comprimentem hìc nemo inveniat, à non existente causa effectum resumere absurdum esse nemo non videt : nihil ergo superest quàm ut angustatio, coarctatio hæc, derivetur ab obstipatione, quam vasa ad anum tumentia; una cum difficultate quam intrusio canulæ ad clysteres experitur facilè produnt.

Quæ si ita sunt, facilè elucescit unde oriatur et cur inanis atque unà molestus valde desidendi conatus, similes vexet ægrotantes.

Color faciei est ille *rete malpighiani* per cuticulam transparentis, et quem id à sanguine mu-

tuatur, quare dum eo liquido irroratur, bene elaborato, rutilat atque color sanitatis saltem in zonarum temperatarum incolis, amæno roseus : genas decorat, à spasmo ab eo retropellatur vel ob defectum virium, inopiave eo non perveniat, morbose pallet, atque alium plus minus ingratum colorem induit, prout à statu sano plus minus degeneravit : sic qui in melæna observatur, fusco-luridus, denotat ad evidentiam, eo tinctum esse sanguinem atque inquinatum; et sanè ex nullo alio fonte oriundum, quàm quem sanguis stagnans suppeditavit : neque putes icterum sic vocatum nigrum aliam agnoscere causam atque aliam incusare scaturiginem.

Vidimus nunc quæ morbum futurum præsagiunt, nascentem indicant; natum produnt atque confirmant ; occultum decelant : neque, præter hæc, quantum scio, alia superveniunt, quousque morbus tectus, in visceribus hospitatur : hospitatur autem aliquando, quo existit, absque eo, quod in lucem veniat, dum vel ab eo æger liberatur, statu suo morboso cum eo sanitatis commutato; vel cum, aut ex eo moritur, hoste manente visceribus incluso.

Verum dum jam sive per rupturam sive per anastomosim, insidioso onere sese vasa liberant, disparent quidem, eo ipso, saltem pro aliquo temporis intervallo, molesta, quæ usquedum ægrum obsederant, symptomata, quibus non interruptè alia succedunt, dum erumpens materies in ventricu-

lum, intestina vel utraque extravasatur et inde foras eliminatur : evacuatio vero, quæ hic locum habet, et quod prætermittendum non est, fit absque dolore, et id quod evacuatur, si eo ipso quo fuit extravasatum, absque eo quod in transitu moras traxerit, odorem spargit fatuum, ab eo sanguinis animalis recenter mactati et in pavimentum effusi non dissimilem : si vero post ex vasis discessum in una aliave tubi alimentarii parte morata fuerit; in ea ratione odorem alium ingratum, quandoque fætidum, cadaverosum, qui nares ferit, contrahit.

Unde facilè deducere est quare *aqua rabelliana*, quæ à plurimis in omni morbi hujus casu, ut remedium per excellentiam celebratur, hìc multo cum fructu adhiberi possit, illic non solum inutilis at etiam nociva evadere possit. Verùm de his in sectione secunda.

Notandum me hucusque semper agere de ea una melænæ specie, quæ in sistemate venæ portarum sedem suam habet et cujus materies, dum ergastulum deserit suum, erumpit in canalem cibarium et de qua usquedum inter scriptores mentio incidit : de aliis ejus speciebus commodiùs, sic enim ordo jubet, in capite sequenti loquar.

Dum jam naturam suam hactenus occultam, cum aperta morbus mutat, symptomatum caterva variat, pro diversa quæ ejicitur, aut saltem extravasatur, fomitis vitiosi quantitate, quæ aliquando modica, aliquando usque ad maximam, successivè major observatur.

Dum ex parvo, vel etiam, si velis, majori infarctu parva evacuatur copia, præter ea quæ in vomitu aut alvo cruenta ordinaria observantur, hìc nihil peculiare locum habet; quin contra ejecta materia, molestam vasorum auferens tensionem, sæpè levat ægrum, qui deinde appropriata medela, non infrequenter feliciter, prompteque satis, amissam recuperat sanitatem, en ex plurimis casum unum.

Currente mense julio anni proximè elapsi (scribo decembre 1816) consulor pro ægro qui, postquam jam per aliquos menses anxietate præcordiali laboraverat, cum sensu ponderis ad cardiam atque pulsationibus valdè incommodis, incidit tandem in vomitum nigrum, cui aliqua, pauca tamen sanguinis sinceri, immixta quantitas conspiciebatur, quod ejectum erat, æquabat præterpropter uncias octo : manum operi admovens absque temporis jactura : injungo statim summam quietem : ut nocivos, qui redire poterat, vomitus concussus compescerem; præscribo ac porrigo absque mora remedium *Riverii*, consulo deinde aquæ frigidissimæ potum, præterea nihil. Diei posteræ manè, dum ipsum videbam, nihil peculiare neque per os neque per anum evacuaverat : concedo, suadeo, cum aquæ frigidæ continuatione jusculum, cum oleribus mollissimis ac succulentis incoctis collatum simulque frigidum : impero cum corporis quiete, pacem animi, quam potest fieri maximam, atque severam ab omni irritante, calefaciente abs-

tinentiam : post dies aliquot, vasis nunc, uti apparebat, sufficienter occlusis, infarctum, recidivæ fontem fæcundum, solvendi causa, præscribebam mixturam sequentem

M extract. rad. gram.
tarax â dragm. 2.
syr. menth. unc. I §
aq. ejusd. crisp. unc. VJ

ut inde absumeret omni hora et semis cochlear sive unam semis; superaddo dein lenes malaxationes aut palmationes abdominis (summum in hoc casu et sine pretio remedium, de quo in parte hujus tractatus secunda) augeo has intensitate sensim sine sensu, in ratione recessus à morbi primordio, continuatis aliis, marito tandem legumina succulenta, carnes albas assas non elixas, lenem aliquem potum fermentatum, aquæ loco, cerevisiam nostratem flavam luppulatamque, deinceps in rhedâ exercitium mite, sensim supra pavimentum, rudibus lapidibus stratum, tandemque equitationem quibus omnibus et singulis convaluit et mense septembre subsequente curatus.

In ea ratione, qua copiosior est evacuatio, alia, aliusque intensitatis ac periculi superveniunt symptomata, quæ à jactura aut meliori jure à substractione vel derivatione liquidi vitalis, repetas; hoc quod paulo latius hic, antequam ulterius progrediar explanandum è re esse fui arbitratus.

Dico à substractione aut derivatione, potius quam à sanguinis evacuatione, hæc, quæ sese hic mons-

trant, symptomata resumenda esse : etenim quod hic eliminatur subliquidum, licet proprie loquendo sanguis fuerit, et quidem adhuc sit, aliquibus nihilominus, ex suis amissis qualitatibus, tamen ratione phænomenorum, quæ in casu posito sese offerunt, ut talis, stricto sensu considerari nec potest, nec debet; quatenus jam, tempore plus minus longo, in vasis suis stagnavit, factus est circulationis hospes extraneus, neque ad vitæ pabulum, neque ad ullam corporis functionem, attulit partem vel minimam, molestum contra ac perfidum onus : unde consequens est quod, sive qua tale in corpore remanserit, sive ex eo recesserit, nihil inde priori casu vitalitati accesserit; posteriori ei, ex eo, in se spectatæ nihil recedere possit : quare quæ ægro hic accidunt vitamque ejus in summum discrimen adducunt aliquando, ex alio fonte hauriamus oportet : est autem ille, ni fallor, quem hic subjicio : videlicet dum jam canales suos substantia morbifica, fugiendo in cavum v. g. intestinorum, elapsu potius, quam hæmorrhagia, effunditur, eos vacuos relinquit ac inanes : unde in hos, ex nata minori resistentia, urgetur ille sanguis, primò qui in vicinis, dein in remotis partibus continebatur et libere circulandò, vitam intertinebat, in quos actus, perque eos varicosos atque inertes circumire impos, stagnat, præterpropter nunc illius, qui ante hunc stagnaverat, vices agens, universæ communi massæ substrahitur, et ita, licet non evacuetur, tamen acsi

evacuatio locum habuisset, eosdem omnino præstat effectus : unde nullus mireris, quod sub ipso vomitu vel diarrhæâ subito, summèque mutetur ægrotans, deficiat, prolabatur in humum, ni sedile aut lectus ad manus sit, pallescat, calligent oculi; nitida eorum resplendensque lux recedat; subsideant, quasi, ac in orbitis submergantur : collabatur unà universa facies; livescant labia; pulsus obscurius micet, recedat; æger summopere debilitetur, evanescat; fædus vultum deturpet color, frigeat, jaceat immobilis, ipsissima mortis imago, nisi jam infeliciter cum ipsa vitam suam in æternum commutavit; uti accidit in matrona, meæ, circa hunc morbum, observationis, omnium primæ subjecto et de qua p. 15 mentionem injeci.

Postquam hæc jam ex tam difficili, quam ominosa lucta evaserat, pristinamque præterpropter recuperaverat sanitatem, per longos dies ea freta non fuit, diætim novum, renascituro morbo, pabulum suppeditans, sine multa interjecta mora ad recidivam properans, quam immorigera, inversa sua vivendi methodo, tota laxa, qualis erat, viscera sua potu theano, à manè usque in vesperam indesinenter, et me summopere renitente, submergendo, accelerato passu sibi accersebat : unde non longo post tempore, in vomitum nigrum incidit, quem, pro hacce vice, nullum mali moris symptoma nec comitatum fuit nec insecutum.

Ex hoc dum convaluerat, rursus nulla constantia stetit, apparentis sanitatis facies, continuo

inter sublatum, et vix non, inter recedentem et redeuntem morbum agitata, conquassata, nunc per os, nunc per anum, nunc per utrumque pultem nigram evacuabat, ita ut sub meo regimine, quindecim paroxismos passa fuerit.

Tanti pertæsa laboris atque molestiæ, tam longa quam fastidiosa fatigata cura, in tantum desideratæ, nusquam redeuntis sanitatis impatiens, me reliquit; clinicæ suæ, agnatarumque vetularum instigatione, alium veteranum, at minime indoctum, medicum accersire in placitis habuit, qui dum advenit, licet

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixæ cupidus protervæ,

junioris collegæ, ut ipsi moris erat, tractandi methodum ante carpebat, quam cognoscebat, totumque negotium, ad incudem revocandum, alioque omnino modo malleandum indicabat, manum operi admovit, quod suo malleandi modo ocyus absolvit. Paulo post, certæ diei hora secunda pomeridiana advocatur ad ægram de anxietate, ventrisque doloribus conquerentem; præscribit, quæ erant pro suo judicio, rei quam maximè congrua remedia, consolatur ægram, consanguineorum placat animos, rem omni periculo expertem prognosticans, consortio salutato, securus abit: at ecce versus medium quartæ per os, per anum, sursum, deorsum, evacuat magnam materiei nigræ copiam et ipsomet momento animam efflat: autem anxietas præcordialis quam abdo-

minis dolores concomitabantur potuerat in taliter disposito subjecto, alii, paulo perspicaciori, timendæ evacuationis atque pedissequi periculi, justam injecisse suspicionem.

Ægri, qui talem sanguinis stagnantis infarctum, aliquomodo notabilem, visceribus gestant, ipsis quidem insciis et ut plurimum de præsenti, futuroque rerum suarum statu placidè respirantibus, mortem in sinu fovent, quæ ad minimum incidens sive ex causa physica, motu sanguinis uno aliove modo incitato, natum; sive ex causa morali, illo aliove animi pathemate, quod vasorum varicosorum, et vix non maceratorum, non difficilem induxerit rupturam, per quam facilè irruere potest; uti ex hac causa, frequentius, quam quidem vulgo putatur, subito et ex improviso toties supervenit, etiam dum foras nihil evacuatur, nihil effluit, liquido extravasato corpori immorante, aut serius forsan, jam aliquo à vita extincta tempore in lucem prodituro.

Vir hujus urbis, vix quinquagenario major, bona vitæ suæ parte, egregius helluo, de ægritudine queritur, medicorum, qui ipsum tractabant, opinione, nescitur quali tam abdita, tam abscondita videbatur ejus natura. Pro variis circumstantiis varia porriguntur medicamina, varia adhibentur auxilia, æquè incassum omnia et singula; quare insuccessus hic una cum summoperè optati sanitatis reditus desiderio, aliorsum opem quærit; inde mense novembri 1813 in con-

silium vocor. Insidebat sedili ægrotans situ bene composito, neque primo aspectu plus apparebat laborare, quàm ipsa morbi sui explanatione, de quadam totius corporis molestia, ingrataque in abdomine, præsertim ad regionem stomachi, sensatione solummodo querulus, observante nihilominus medico tractante, ægrum de tempore in tempus, inexpectatò corripi animi deliquio. Ex narratis atque examinatis nihil plus quàm ante, detegens, id solummodo observo, ex antiquo Hippocratis effato, nempè, *eos, qui sine manifesta causa animo linquuntur derepente mori.* Hominem nostrum posse ita aliquando insalutato hospite, discedere ad plures. Continuantur cuncta eodem ritu.

Dum tota die bene sese æger habuerat, seque cum suis usque ad decimam vespertinam placidè occupaverat, lectum petit, quoad omnia sese pro placito gerens : verùm quis expectasset? quis fuisset suspicatus? Dum jam in eo decumbens sese quadam cum agilitate, ex uno latere in aliud vertit, ictu oculi fere citiùs expirat, nihilo omnino in quacumque corporis parte vel minimè apparente præternaturalis aut morbosi, nisi quod aliquo à morte tempore sanguis partim niger, partim ruber ex ore effluxerit et ano.

CAPUT QUINTUM.

De essentia morbi nigri.

Si in capite primo, cum suis satellitibus atque patronis, universum in hoc morbo bilis imperium

dejectum fuit. Si in secundo, quæ corpus ad hunc potiùs quàm ad alium aptum reddunt, quæ huic ægritudini præ omnibus aliis portam pandunt seminia; videlicet vita sedentaria; partus fæcundus, sæpe repetitus cum neglecto bracherio, ætas ultra juventutem protracta; effætum in fæminis vitæ stadium, pectus angustum; sensi-irrita-bilitas major : si hæc, inquam omnia collectivè, aut, seorsim sumpta, talis sunt indolis ut sanguinis ad viscera abdominalia congestioni faveant, circuli velocitatem infringant; liquidi vitalis progressui obstent, stasi ejus faveant et quæ inde sequitur degenerationi, demonstratum sit.

Si dein quæ latens seminium evolvunt, et quæ causis prædisponentibus sese jungentes, ægritudinem ex statu meræ possibilitatis evocanti, potentiæ nocentes, putà aquoso tepidorum abusus; liquidiorum de massa sanguinea dissipatio, melancolia quædam particularis, ea speculi; situs incurvatus, præli abdominalis otium; si non per universam primæ digestionis officinam, saltem per aliquam ejus regionem sanguinis circulum impedire et strangulare nata sunt.

Si tandem, quæ ex horum concursu efficaci oriuntur, in morbo tecto; sensus ponderis ad epigastrium : anxietas præcordialis : pulsatio ad cardiam : dolores abdominis, alvus tarda : tenesmus frequens ac pertinax : excrementorum diameter exiguus : color faciei fusco-luridus, ægro non naturalis : ac dein in morbo ergastulum relinquente

suum, subita prostratio virium : fæda totius corporis et præcipuè faciei decompositio : omninosa lipothymia, aliaque, quæ ægrorum rem in augusto collocant; universim cuncta et singula non nisi ex congesto ad viscera sanguine, hìc foras erumpente aut saltem extravasato, illic in iis latente derivari atque explanari queant : quis erit in rebus examinandis tam parum versatus; in iis contemplandis tam obcæcatus? in earum natura perscrutanda tam obtusus? in ex antecedente legitimam deducendi consequentiam tam parum logicus? ut patulam veritatem ultro volensque non agnoscat atque ambabus, ut ita loquar, ulnis non amplectatur.

Etenim ex his cum evidentiâ, quæ ultro sese offert, elucescit id, quod in hoc morbo, tecto scilicet in visceribus, sacco peritomei inclusis, ante omnia ab initio usque in finem concipitur; et ex quo cuncta quæ ad eum pertinent profluere intelliguntur id est, ejus essentiam consistere *in infarctu vasorum sanguineorum abdominis tali; ut à stagnatione colorem suum naturalem cum nigro commutaverit* : et eum ipsum morbum jam apertum nihil aliud esse quam *ejusdem, ita mutati, sanguinis ex vasis suis elapsum et sæpè ejus per os vel per anum evacuationem.*

Equidem hæc intellecta velim de morbo nigro qualis usquedum ab authoribus descriptus atque à medicis tractatus fuit : eum universim ad canalem alimentarium, ad ejus aut vicina vasa me-

senterica, mesocolica, splenica, breviave et alia restringentibus : verùm enim verò si jam ægritudo hæc nihil aliud sit quàm sanguinis collectio, statis atque coloris ipsius degeneratio : videtur hinc, si rem bene concipio, consequens aliquod fluere, quod novum arti additamentum, novam medicis supellectilem, novum ægrotantibus emolumentum adferat atque conciliet : morbum nigrum nempe sive melænam, non tam esse unum dictarum partium hospitem, quin et aliarum esse possit, atque ita illum non esse tam simplicem quin multiplex esse valeat : nam si sanguis ille qui per universum corpus promiscuus circulatur in vase quolibet, sui generis, nullo excepto, in itinere suo impediri, retineri, ita stagnare et degenerare possit : et si quiescere, nigrifieri, quod sanguinem attinet, in vasis earum partium, quos saccus peritonæi ambit atque includit, aut in iis aliarum, sive hæ vicinæ, sive remotæ sint, verbo in quibusvis, semper unum sit idemque ; dum locus qui stasi favet et in quo hæc obtinet, rei in se spectatæ nihil addit, nihil demit, nihil in ea mutat, sole clarius patet morbum nigrum in omnibus et singulis corporis partibus, quæ vasa sanguinea nacta sunt, sedem suam figere posse.

Consequentiæ hujus legitimæ valorem hic nemo ullus impugnet, multo minus evertat, dum observationes ipsæ, etiam invitis aut saltem insciis observatoribus quàm mox, fulcimentum ipsi suppeditant atque consistentiam : nam quid aliud significant? quid aliud demonstrant? quid in se spectata abso-

lutè et re ipsa aliud sunt aut potius fuerunt vasa illa varicosa sanguine nigro gravida, toties in autopsiis cadaverum in cerebro v. g. reperta : quid dein aliud significaverunt collectiones liquidi nigri, quod unum aliudve cavum, in se continebat? atque tandem quid secum tulêre fluxus illi nigri ex una aliave corporis parte, toties ab ægris, adstantibus eorum curam habentibus, nesciis naturæ, observata.

Eamus paulo distinctius per singula, chartæque committamus, quid nos, si non in omnibus, saltem in plurimis corporis humani regionibus experientia aut potius, stricto sensu, observatio docuit.

Distinctè meminiscor me minimè infrequentibus vicibus querulas audivisse fæminas, mihique plangentes de sanguine, per muliebria profluere solito, qua color ejus, rubri floridique loco, fusco-atroniger, ingratus ipsis displicebat : verum tum, uti semper, antequam genuinam hujus morbi mecum fovebam ideam, aures habebam et non audiebam.

Neque minus distincte recordor etiam non raris vicibus oculis meis subjecta fuisse talium fæminarum linteamina, recenter effluxo sanguine madida, et tanta, quanta erant, nigro imbuta ac tincta colore : verum et tum erat mihi, sine visu, visûs organum, vixque ullam, ut tum fieri assolebat, atque nunc assolet, præbebam ad similia attentionem.

Verum enim vero si oculos aperiamus, eosque acutius paulò in objectum hoc dirigamus, id co-

minus contemplemur atque profundius perscrutemur, quid liquidum illud nigrum, mensium more modoque, non grumosum, non polyposum, per muliebria stillando prodiens possit esse aliud, quam sanguis, qui ex stagnatione in vasis colorem suum naturalem cum morboso commutavit.

P. 59 locutus sum de quadam pastoris ancilla, cui, melæna laboranti, fluxus periodicus supprimebatur, et qui dum post aliquos menses redibat, atro prodibat colore, ita tamen ut vice subsequente ut quondam fiebat, rite coloratum sese exhiberet.

En istius farraginis casum alterum.

Domina quædam molliori addicta vitæ, annos nata ultra sexaginta, pectore malè conformata, post perpessum semel abortum, alias expulsam molam, duosque, quorum alterum difficillimo partu, ut dirè dilacerata fuerit, in lucem editos infantes, abhinc valetudinaria vixit; à morbo egressa in morbum transiens. Dum jam inter mortem et vitam, inter sanitatem et ægritudinem, semi-mortua, semi sana usque nunc vixit : postquam jam ipsi menses per 15 annos remanserant, incepit currente martio hujus anni 1817, fluxu albo laborare, quem pededentem niger, quandoque rubro niger semperque ingrati odoris insecutus est, non notabilis, pauloque parcior quàm ille mensium esse solebat : dum profluvium hoc cum moderamine intertinere : metu, ne dum esset nimium, sanguine pauperrimam inopemque exhauriret; et dum esset justo parcius aut suppressum, cum nocumento inimicam materiem in corpore retineret, mihi erat

animus; suadeo motum corporis, tantillo majorem fugiat; aliquo tamen facilique utatur : abstineat ab aquoso-tepidis, relaxantibus, debilitantibus : pro potu matutino atque jentaculo sumat cum pane biscocto infusum theanum, cujus relaxantem virtutem, vinum burdigalense rubrum meracum infringat : deinde oleribus vescatur mollibus, carnibusque assis : pro potu diurno faciat fermentatorum, spirituosorum usum moderatum, et, ut successivis et vix non continuis ægritudinibus enervatam sustineat existentiam, bibat de tempore in tempus ex leviori decocto corticis peruviani, in consiliis habui.

Dum hæc omnia executioni mandantur adamussim; rite secundùm intentionem, nec cis, nec ultra sanguinis nigri fluxus continuat : intermittit, imminuitur antiquus, qui fere cum ipsa senuerat, lumborum dolor; fit minor, qua diu laboravit, anxietas, fit una respiratio liberior, melior appetitus, facilior digestio, magis placidus somnus, et ex disparente, ad vasa uterina collecto fomite morboso, melioris notæ, atque naturæ, confecto novo sanguine, fit color faciei, et clarior atque vividior.

Equidem apparentis jam futuræ melioris valetudinis affulgens spes non diu arrifit.

Initio mensis septembris molam expellit aliam, non quidem magnam, at odore ingratissimam, ne dicam fætidam. Paulopost, aut fere eodem tempore, ipsi ad omoplatam dextram suboritur tumor phleg-

monoïdeus, cui dum ab initio hirudines applicare satagebam, renuebat ægra, eum cataplasmatibus resolventibus fovere contenta; augetur nihilominus in omnem dimensionem, in longum, latum atque profundum, ita ut integrum tandem dorsum occuparet; temporis interea fit ægra sensim sine sensu debilior, dein capite plus minus turbata, soporosa, ita ut lethargo correpta jam versus finem vergente octobri expiraverit.

Et jam coram habeo juniorem fæminam, trium prolium matrem, à quindecim retro diebus morbo pectoris laborantem, quem pluviæ exposita, inde tota madefacta, hinc fluere incipiente mensium fluxu, ex improviso suppresso, accersiverat. Dum hac occasione ipsam interrogo, utrum debito modo ipsi menstrua et quantitate et qualitate congruis prodire ac fluere solebant : respondet evacuationem hanc, licet copiosam, debito semper incessisse ritu : verum se, dum sub ultimæ, quam jam à quatuor mensibus ad finem perduxit, graviditatis tempore, de hæmorrhoïdibus cæcis multum passa fuerat, primis, post in lucem editum infantem, diebus, notabilem sanguinis nigri quantitatem, lochiorum more evacuasse, quem procul dubio ille qui ad uterina, sicuti ad hæmorrhoïdalia stagnaverat, suppeditavit.

Hujus similisque indolis casus videntur tam crebro, non inattentis occurrere, ut analogos ulterius accumulare, ac allegare mihi visum fuerit supervacaneum.

Si jam per partes muliebres sæpe sanguis ater sive sub mensium sive sub lochiorum, aliave forma emittitur; etiam non infrequenter hunc legunt, recondunt, fovent, tandemque evomunt renum aut vesciæ urinaria vasa.

Mihi in memoriam recurrit casus, quem ab ultra 30 annis tractandum habui in viro monacho, qui, atramenti diluti adinstar, urinam evacuabat, et quem dum causam ejus, naturam et ita genuinam tractandi methodum, ignorabam; viribus naturæ aut sibi ipsi reliqui, ne dum cæcè agens facilius obquàm prodessem.

Versùs idem fere tempus pro cælibe 80 præter propter annorum, frequenti ischuria vesicali laborante in consilium vocatus fui cum domino G...., chirurgo, qui, ut urinæ patulam procuraret viam, ad catheteris argentei, qui ipsi in usu erat familiari et ordinario, introductionem recurrebat, et per quem, lotii, coloris naturalis loco, liquor aterrimus profluebat, quem pro vesciæ gangrenæ signo habuit : quam sententiam vita ægri non solum superstes, sed et antiqua recuperata valetudo, minime probabilem reddidit.

Nunc proximioribus temporibus istius cathegoriæ aliud sese obtulit exemplum, quod sequitur.

Duodecima mensis januarii 1814, consilium meum petitur pro domina M.....t jam ab ultra triginta annis vidua, duorum infantum masculorum matre et jam octogenaria majore.

Vetula hæc macilenta ac parvæ staturæ, sani-

tate satis opima, per longevæ suæ vitæ decursum freta erat, præterquam quod ipsam plus minus vexarent anxietas præcordialis, sensus ponderis ad cardiam, ad lumbos aliaque morbi nigri tecti symptomata, absque eo quod facies ejus colore flavo-fusco tingeretur, ita tamen hæcce peragebantur, ut solitis, quod fieri assolet, vacare ac fungi posset negotiis.

Dum, hisce consideratis inquiro utrum aliquando non excreverit sedes nigras : se illarum non meminisci respondit, sed se à longis annis de tempore in tempus urinas nigras deposuisse refert; et, qualem jamjam excernit, consultationis præcisè objectum : matulam adferri jubeo et ecce liquidum hæc continebat atramenti ad instar nigrum absque aliquo cujuscumque genii odore : observat ulterius ægra se non solum talem excrevisse urinam, sed etiam aliquando partim rubram et per vices integrè talem, semper, uno et altero casu, cum magna subsequentè debilitate.

Notus morbus monstrabat sanitatis semitam, monstrabat medelam : ergo ante omnia cordi habebam ulteriorem è vasis élapsum aut, si mavis, hæmorrhagiam præpedire : quare summam, tam moralem quam physicam injungo quietem : stragulorum atque cubilis caloris fugam; severam ab omni stimulante calefaciente abstinentiam. Intendebam dein, si non exhaustas, equidem prolapsas, restaurare vires, mediante jusculo meraco frigidè deglutiendo, intermissis sive pro cibo, sive pro

potu cremoraceis, et deinde ut huic æque ac illi indicationis parti, una satisfacerem consulo bibat omni trihorio decocti saturati corticis peruviani vasculum sive uncias tres.

Incedebat ita per quindecim dies morbus atque per tot unà eum fideliter concomitabantur, et idem regimen et idem modus agendi, idemque remedium; dietim morbus de furore remittebat, urina fiebat singulis diebus minus saturè nigra, donec tandem 22^da die ægra lotium coloris naturalis reddens convalesceret.

Temporis interea dum hæc ita peragebantur cavi sedulo ut quæcumque secedebat conservarentur et ecce de tempore in tempus eodem imprægrata colore reddebat per anum quam, quæ evacuabat per urinæ vias.

Post has superatas difficultates infarctum solvere intendebam, ad consilium hoc surda, de debellato morbo contenta, gaudensque de sensim sine sensu redeuntibus viribus incipiebat exire, et non obstante ætate provecta, agilis tamen, scandebat urbis hujus montes et ultra proficiscebatur ad trium quartarum leucæ ab ædibus distantiam, eodem pomeridiano tempore reditura.

Dum ita more suo per aliquod temporis intervallum vixerat, subito ad eam advocor, diarrhæa nigra laborantem, absque eo quod urina de dotibus suis naturalibus vel quidquam amisisse videbatur iisdem armis ac priorem, insultum hunc oppugno atque intra sat paucos dies dissipo.

Equidem cum in recidivam præcavendam nihil

auscultare; minus quidquam operi mandare volebat, non poterat non redire uno aliove modo, uno aliove tempore morbus, non tamen semper cum eodem successu dispellendus : quare muneris mei honorisque esse putabam filium utrumque accersiri atque una de periculo admonere, quod similes ægrotantes manet, eos nempe videlicet sub altero alterove accessu, summum subire discrimen, et aliquando derepente mori et ex improviso discedere ad plures.

Interea ad solitas, quæ ipsam distrahant, redibat occupationes; at paulo post, tussi corripitur et puris sputo sat copioso, ædematose inflantur pedes, immorigera pharmaca respuit, ad nutum suum se confert; usque dum 18ª aprilis à custode matulam petit, de dolore aliquali abdominis querula, quem, uti ipsa judicabat, à flatibus inclusis ortum, mediante spiritu frumenti vinceret ocyus : quare jubet custodem *Snap* quærat et en, dum hæc redibat, expiraverat.

Verum enim vero si jam per unam aliamve corporis partem, parum interest qualem, postquam aliquamdiu absconditus latitaverat, foras prodit morbus niger : nihil obstare videtur quo minus vasa sanguine nigro onusta ac gravida, qualia, ut vidimus, ubique eo infarcta locum habere possunt, sese, fuerit per anastomosim, fuerit per solutionem continui in unum aliudve cavum, pectoris v. g. abdominis absque eo quod aliquid conspicuum fiat, exonerare possunt, unde nova

morbi nigri species, quam fateor numquam observavi : solius casus recordor, qui fortassis huc aliquid faciat.

Currente mense aprili anni 1810, in consilium vocor pro domino V. B.....n. Quem ascites vexabat cystica, et in quam alleviandam, non omissa *Bracherii* cautela, paracenthesim consulo, quæ in trium meorum collegarum præsentia instituitur, et quâ, quod omnes mirabamur, per cannulam acus triquetræ, seri loco, liquidum rubellum emittebatur. Quod primo intuitu ab ipso vulnere repetebamus : ast *erronée*, ut statim patebit : erat itaque ascites, saltem partialiter, sanguinolenta : unde, quod nemo inficias ibit, hoc consequens est; quod sanguis sincerus in cavum peritonæi exhalaverat per dilatationem aut per solutionem vasorum effluxerat (1) : jam vero si in hanc cavitatem ita stillare potest sanguis suis gaudens dotibus naturalibus; quid ni idem valeat dum alias acquisivit; una cum circumstantiis, quæ ejus eruptioni favent : si enim vasa per quæ sanguis, quia ruber est, plus minus liberè circumit ultra sphæram dilatari aut rumpi possunt : sanè eas mutationes multò faciliùs subibunt ea, quæ jam inde infarctus sanguis plurimùm extensit et quorum robur aut vim resistentem plus una ratione infregit.

---

(1) Nullum aderat tenuitatis aut dissolutionis sanguinis symptoma.

Verum sanguinem aliunde quàm ab inflicto vulnere venisse judicavimus.

1° Quia à latere cannulæ nihil prodibat, dum pleno rivo exsiliebat per ejus orificium.

2° Quia si fuisset à vase læso, tum necessario, qua secundùm superficiem tegumentorum stillans, in eo loco, ubi erant perforata, et qua pars ejus rubra, aqua specificè gravior, fundum petens, non potuisset nisi cum ultimis unciis prodire foras : nunc vero prodibat ipso operationis momento quo cannula intra abdomen prominebat.

3° Quia in quater repetita operatione idem obtinuit ab ipso initio usque in finem effluxus, dum singula vice præter propter sex litra educebamus.

Ex dictis videtur cum multa veri specie statui posse quod præter ascitem serosam, purulentamque etiam sanguinolenta atque melænica locum habere possint et quod, uti in cavum peritonæi talia liquida accumulari possunt, ita eodem vitio etiam alia corporis cavitates infestari possint.

Cum in tota, qua latè patet, machina animali, sanguis vel ratione sui, vel ratione solidorum eum transmittentium, in itinere suo impediri, ita stagnare possit et sic, pulmones attingere; magis pertransire, impos, nigrescere, nihil mirari subit morbum nigrum universi corporis, ut vidimus attributum esse posse : verum enimvero ea ipsa ratione, qua quia sanguis per pulmones circulare impeditus, ruborem amittit, videretur non sine magno

plausu concludi posse, equidem ipsum respirationis organum, in quo sanguis fractum ruborem recuperat, ita aliquando, ut morbosè conceptum nigrorem, repetito transitu, cum rubore commutet, ab ea labe immune esse debere, neque ibi, ubi rubefit, ingrescere posse : tamen contra expectationem et quod jure mireris, in eo aliquando et quidem, in non rarissimis casibus, tam atrum colorem et in tanta quantitate contrahit, ut per expectorationem, sub sputorum forma, integrum pulmonum parenchyma nigro imprægnatum colore è corpore discedere judicares, idque, quod hìc sicco pede transeundum non est, sine valdè tædioso respirationis labore.

En, ex similium cumulo, exemplum unum.

Quatuor vel quinque ab hinc annis, opem meam, unus hujus urbis, parochiæ pastor dignissimus, postulabat in morbum pectoris, quo jam per plures menses laborabat, et in quem superandum varia varii genii adhibuerat remedia, quibus semper æquè pertinax, rebelli constantia restitit. Ab ipso primo, quo ipsum videbam momento, me præsente, plura, magna, mollia, quasi spongiosa, omnia saturè nigra, sputa, tussi valdè moderata, ex pectore exantlabat, emaciatus æger, usquedum à febre liber, cæterarumque corporis functionum, saltem quoad sensum, vix non gaudens integritate : placidè enim dormiebat, appetebat, quæcumque assumebat sine apparente vitio, digerebat, alvi atque vesicæ exoneratio, solito peragebatur ritu;

vigebant sensus in et externi; gressu benè composito incedebat in cubiculo, descendebat quidem atque in horto suo commode subambulabat, absque eo quod multum de pectoris angustia querebatur : quæ potui, cuncta adhibui, morbum tamen non inhibui, furiit per omnia obstinatissimè, conatus lacescens quoscumque, donec per vanum, unius mensis spatio, perpessum laborem, æger in Domino obdormiverit.

Simile similis naturæ sputum, an iisdem ignoro stipatum symptomatibus, in quodam hujus civitatis jurisconsulto observaverunt hisce fere diebus bini eruditi practici, quorum, etiam valida, conamina morbus elusit.

Quamquam quæ ita sese habuerunt, non est ea propter semper tam infausti exitus similis per pulmones liquidi vitalis evacuatio, ut et aliquando cum ipsa materie infarciente, summo cum ægri emolumento, ipsum auferat infarctum ut abstulisse visa est in ægra, cui ab octodecim mensibus medicinam feci pro morbo pulmonum, quo jam ante ab anno, et ut videbatur ex hæreditaria labe, laborabat, inter spem et metum indesinenter luctata.

Tussi laborabat hæc ab acrimonia ad pulmones revoluta, aliquando sine, aliquando cum aliquo puris sputo, in quod curandum atque præveniendum totis semper allaboravi viribus: tussis ab assumptis cibis, in laxum gravitantibus ventriculum, exasperabatur: nocturno tempore sudoribus diffluebat, ema-

ciabatur multum, et jam à pluribus mensibus ipsi in ætate 28 annorum remanserat vel suppressus erat fluxus periodicus : in hocce rerum statu, indicatis, adamussim observatis remediis, videbatur auscultare morbus qui dein cum dierum progressu, magis magisque ad sanitatis portum progrediebatur, donec currente mense septembre ; quarto ab initio medelæ, dolore in pectore sinistro nec ad attactum nec ad motum partis aucto, corripiebatur, cum quodam anxietatis sensu : dum hæc per aliquot dies perstiterant, subito ad tres vel quatuor uncias per tussim evacuat sanguinem nigrum, non hic, uti in aliis casubus, sputorum adinstar, consistentem, at subliquidum ut sanguis niger esse solet, cum doloris ablatione, quem sanguis ad eum locum congestus produxisse visus est, et cujus evacuatio morbum tulit, non secus ac utrumque fieri assolet, in aliis partibus, ad anum v. g. ad quam infarcta vasa hæmorrhoïdalia dolorem excitant, quem eadem fluentia tollunt.

Præter morbi extensionem, ex nunc posita morbi essentia, etiam facilè fluunt atque intelliguntur, quæ ab omni ævo in eo fuêre observata, quæ observantur diætim et de quibus in antecedentibus : ergò, qua in atrâ bile veterum, per infarctum systema venæ portarum, minor sanguinis quantitas in et per hepar fertur, fit necessariò minor secretio bilis, parcior ejus quantitas ad duodenum fluit, quare alimenta, eo animalisationis privata cratere, tacitè sequuntur suam indolem : unde

cruditatum, quidquid contra has insulsi novatores clamitent atque vociferent, acidarum, puta rancidarum etc., generatio, quæ per os rejectæ cum cretaceis fervent, per transitum, æsophagum et fauces, ut bilis patroni loqui solent, inflammant.

Ex defectu hoc iisque quæ cum eo concurrunt ordinariè, alvum tardam, pigram fieri atque constipatam etiam iis innotescit qui è limine solum medecinam salutarunt.

Infra obstaculum sanguinem, qui per vasa lateralia, per anastomoses non recedit, retineri, inde vasa inflari, dilatari, tumescere, hæmorrhoïdes et alia mala generari dici non debet.

Materiei melænicæ evacuationem, si quæ notabilior est, magnam, aliquando maximam, quam etiam mors excipiat pedissequa, debilitatem insequi, nemo ullus mirabitur rei gnarus.

In morbo tecto motum muscularem noxium, in aperto lethalem, quisque perspexerit non difficulter.

Omnibus illis, quorum viscera hic morbus habitat secundum notabilem quamdam extensionem, vetus hoc ac tritum applicari potest: *latet mors in ollâ.*

Morbum hunc erumpentem, sive aliquid foràs prodiat vel non, mortis subitaneæ ac improvisæ causam esse, forte frequentissimam, mirum videri non debet.

Equidem, dum morbus ergastulum relinquit, et ejus materies in quantitate evacuatur, tum præ-

sertim, dum hanc sanguis sincerus insequitur, mortem præ foribus stare concedet quisque bonus.

Morbum hunc multò quam quidem vulgò putatum fuit, ac putatur frequentiorem esse experietur unusquisque in rem sincerè intentus, neque eum diu talis frequentiæ causa latebit, dum seminia atque potentiæ nocentes in communi hominum vivendi norma passim occurrunt.

Quod prævisus facilius præcaveatur, quam positus curetur, et quod in hunc finem sæpè sæpius, ex penù rationis hausta ratiocinia atque persuasiones in infinitum plus valeant, quam quæcumque pharmacopæïa suppeditare valet, dubio locus esse nequit.

Quod in initio lento passu et quo plus ab eo recedit, velociori incedat, in certis haberi debet, ex fatali, quæ hìc locum habet, effectus in causam reactione, dum hujus ille fungitur vicibus.

Quod, qui ex morbo nigro moriuntur, moriantur ordinariè ex inanitione, vix dici debet.

Reliquis, hujusmodi argumenti facilè supersedens, docti lectoris judicio relinquo, quid statuendum sit de iis quæ de hoc morbo in veterum monumentis, passim occurrunt.

Antequam sectioni huic finem imponam, monitum velim, non omnem sanguinis nigri excretionem, morbum nigrum denotare aut decelare: potest enim sanguis bonæ notæ, qua talis in unam aliamve cavitatem fuisse effusus, et post quampiam in ea moram, nigro imbutus colore prodire foràs, absque eo quod ullam secum melenæ ferat con-

victionem : verum , quod notandum, tali casu, non consistentiæ uniformis subliquidæ, ast aut grumosus aut polyposus eliminatur absque eo quod causæ prædisponentes, excitantes et morbi tecti præcesserint symptomata : autem de his in parte posteriore agendi erit locus aptior atque magis opportunus.

FINIS.

ERRATA.

Pag. iv, linea ultima, loco *adjectus*, lege *adfectus*.
P. viij, lin. 24, *gonorrhique*, lege *gonorrhoïque*.
P. xxj, lin. 24, *evelminus*, lege *vel minus*.
P. 9, lin. 27, *oum*, lege *cum*.
P. 16, lin. ultima, deleatur *eam*.
P. 19, lin. 3, post verba *bonæ notæ*, claudatur parenthesis.
P. 21, lin. 15, *quop*, lege *quod*.
P. 33, lin. 16, *conveniant*, lege *conveniunt*.
P. 40, lin. 20, del. *à*.
P. 42, lin. 28, *alligantur*, lege *allegantur*
P. 44, lin. 1, *evacuatio. Hæc*, lege *evacuatio hæc*.
P. 56, lin. 26, *vitillis*, lege *vitellis*.
P. 59, lin. 13, *febrillis*, lege *fibrillis*.